

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 N
24



AVGVSTINI
DE
LAVRENTIO
DISCEPTATIONES
MEDICAE.

DISCEPTATIONVM MEDICARVM

DECAS PRIMA.

Quas hùc vsque in Noua Nobili, & Salutari Panormitana ACADEMIA Habuit

AVGVSTINVS DE LAVRENTIO PHILOSOPHVS, Et Medicus Panormitanus eiusdem ACADEMIÆ

QVIBVS ACCESSIT ORATIO APVD ILLVSTRISSIMVM SENATVM PANORMITANVM

Ab eodem habita in Anniuersaria Eiusdē ACADEMIÆ Solēnitate.

AD EMINENTISSIMVM


CARDINALEM

MONTALTO.









PANORMI, Apud Cirillos. M.DC.LII.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISS. PRINCIPI

FRANCISCO PERETTO

TIT. SANCTI HIERONYMI Illyricorum S.R.E. Cardinali Montalto.

ARCHIEPISCOPO, ET ABBATI Montis Regalis, Eiusdem Status Domino, Venafri Principi, Marchioni Nomenti, Comiti Celani, & Sommaliæ, Baroni Piscinæ, ac Mirabellæ Domino, &c.



MPLISSIMÆ Purpuræ tuæ splendorem, Princeps Eminentissime, tantùm hoc exoptabat opus inter domesticas diù tenebras abditum, vt haùd inominato alite, luce penitus non indignum, prodiret in lucem. Nàm si opus perpendatur ipsum, quid est profectò, quin tenebricosæ obliuionis nocti non tradatur delitescen-

ſcendum? Auctoris enim ætas,ingenium , curæ, vel doctrinæ luminibus illuſtrari,vel elegantioribus Rethorum floſculis ornari non permiſerunt. At ſi meritorum tuorum fulgor oculis occurret, quo inter ampliſſimum Purpuratorum Patrum Senatum, velut inter ignes Luna minores, irradias, quid eſt, quin inuidentium oculi non perſtringantur,& beneuolorum,candidorumque virorum lumina non recreentur? Poſtularet autem res ipſa, vt fuſiùs de generis tuì claritate, de maiorum tuorum gloria per tranſennam ſaltem aliquid innuerem. Sed quis tanto non ſuccumbat oneri? vel cui tàm alta Icari pennis petenti alarum celeritas non deficiat, ſi pro dignitate velit res æquare dicendo? Superat, ac longè ſuperat omnem vim eloquentiæ tàm illuſtris familiæ amplitudo, ac præſtantia: Sed vnum è tot clariſſimis luminibus ſilentij tenebris obducere non poſſum, Sixtum V. Summum Pontificem, cuius memoria immortalis nullo vmquam tempore, nulla inuidiæ iniuria morietur. Quid enim poterat ad ſummum illud dignitatis ſupremæ, & maieſtatis culmen alius euectus efficere, quod Sixtus poſteritati commendandum non reliquerit? Qui tũc, Deus Immortalis! rerum ſacrarum cultus? quæ Religionis obſeruantia? quæ Capitolij maieſtas?

quæ

quæ Christianæ Reipublicæ tranquil'itas? quæ morum Sanctitas? quæ Sanctitatis præstantia? Viuunt in omnem æternitatem à Sixto erecta magnificentissima monumenta, quæ, quid hominis ille fuerit, satis proloquuntur. Hoc satis sit dixisse, si plures exegisset annos Sixtus, nullus Pontificum virtutibus, nullus Romanæ magnificentiæ pateret locus. Verùm ego cùr te prætermitto, Princeps Eminentissime? Præclara sunt hæc tuorum Auorum merita, sed non inferiora tuæ virtutis argumenta. Nec ego operæ pretium duco tot illustrium titulorum numerum recensere, qui mirum quantum amplitudini tuæ splendoris affert, ad maiora progrediar. Enim verò, te nato, Sixtum Roma coluit rediuiuum, & quam tàm Magni Pontificis Mors importuna augendæ Romanæ Maiestatis spem deleuerat, eam Nepotis animo omnibus patente reuirescere conspexerunt. Eat nunc inuidus aliquis, & te triplici Corona redimitum, in summo Capitolij vertice collocatum non optet. Optet bonus omnis, exoptent etiàm improbi, si iàm recurrere seculum aureum exoptant, si Nepotis augurio Aui celeberrimi redire tempora non aufugiunt. Fortunet ergò te Deus indies, & Nestoreos viuat annos incolumis,

quem

quem Neſtorea Prudentiá dignum reddit æternitate, Panormi vigeſimoſecundo Maij 1652.

Eminentiæ tuæ

Seruus Addictiſſimus

Auguſtinus de Laurentio.

CANDIDO LECTORI

EN ab indocto satis, ac inerudito Medicæ facultatis Professore præcipuæ quædã eius scientiæ Disceptationes tractantur, in lucem emittuntur. quis enim verò is est, qui conuitijs lacessendo occasionem nactus, me, tam quàm nulla earum rerum cognitione imbutũ, quæ ad iam præclaram disciplinam adipiscẽdam requiruntur, reprehensurus aggreditur? fateor, me vix à primo limine nedùm Medicinam, sed reliquas omnes scientias consalutasse; fateor, me rudi adeò, ac humili ingenio præditũ esse à natura, ac præcipuè ob ætatis inexpertos annos illud in literarum studijs tempus nõ insumpsisse, quod ad perfectam scientiam necessarium est. Sed illud, mi lector, cõtempleris velim, me in eruditissima Panormitana Academia has Disceptationes habuisse, non vt ingenij, ac doctrinæ pompam facerem, sed vt illorum præceptis obtemperarem, qui mihi hoc præcipere potuerũt. Paratum semper ego pectus habui ad nutum Maiorũ, vt potiùs imbecillitatẽ meam demonstrarem, quàm illorum iussu quæcùmq; mihi imponerentur non efficerem. In publicam

† *etiam*

etiam lucem hæc edere volui, non gloriæ cupiditate permotus; nullam enim gloriam ex incōcinnis hisce lucubrationibus mihi polliceri possū, sed ne amicorum preces ampliùs luderem, qui eo fortassis animo me ad hæc imprimendā hortabantur, vt feruidiori pectore studijs incūberē. Quæuis autem eorum opinio sit, vt Amicis satisfaciam tandem has, quales quales sint, Disceptationes in lucem euulgari permitto; nesciebam enim eorum reprobare amicorū iudiciū, qui summa sapiētia, ac prudentia, nescio an maiori humanitate præditi mea omnia typis non indigna prædicabant. Prodeunt ergò nō vt Prouectiorum iudiciū pertimescentes, quippè quæ doctioribus Viris non diriguntur, sed Tyronibus, qui nunc primùm ad Medicinā accedunt. longiùs idcircò plùs æquo aliquandò res agitur, ne breuitatis studium obscuritatis tenebras offunderet. In multis prætereà rebus multa, quæ afferri potuerant, prætermisi, vt aliquid in prōptu haberem; si quandò aliquid mihi de eadem re dicēdum foret, est enim in animo multa scribere de pluribus rebus, quas hic etiam egimus. Stylus is est, qui nimirùm doctrinæ explicandæ peridoneus est visus; non adulterinis ornatus

T fucis

fucis, atque pigmentis; nec tamen incõptus adeò, vt horridam aliqui prædicent, ac nõnullis ineptam ornamentis Medicinam. Auctores illos sequi volui, qui ab omnibus maxima sapientia insigniti perhibẽtur, quos ipsarum rerum, de quibus agunt, experientia commendaret. ob id nihil penè in õnibus ferè Disceptationibus dixi, quod Hippocratis, Galenique auctoritate non firmetur; parùm errare ratus, si longiori periodo in enucleandis, ac probandis sententijs vterer, dũmodò rem satis firmam esse viderem. Si nihil laude dignum inuenies, ne quæso, lector, omnia criticorum more discerpas; sed potiùs ætatẽ excuses iuuenilem, in qua maxima etiam ingeniares satis maturare non potuerunt. Si quæ tibi cẽsura indigere videntur, scias, me illam non dedignari censuram, quæ à doctis fieri consueuit, nullis scilicet maledictionum venenis inspersã, sed candida, sed sincera, sed laudabilis. Si quæ verò laudem mereri videntur, laus omnis Deo detur, à quo omnis sapiẽtia veluti ab vberrimo fonte proficiscitur. Interim maioris momẽti res expecta, quas molior, & Deo fauente perficiã. age itaque, lege, & si non laudas, excusa.

NOS infrascripti Princeps,& Assidentes,ac Secretarius Nouæ, Nobilis, & Salutaris Academiæ Panormitanæ, fidem facimus Orationem,ac Lucubrationes, siue Disceptationes Medicas ab Augustino de Laurentio Philosopho, & Medico Panormitano nostro Academico fuisse habitas in eademmet Academia, quas quidem, vt attentis auribus nos,& Academici omnes accepimus, ità illas, ac singula in eis contenta eruditionis, doctrinæque refertissimas non modò approbamus, sed vt Medicinæ Professoribus perutiles commendamus. ac proindè dignas, quæ in lucem prodeant, æstimamus. In quorum fidem &c. kalend. Septembris anno M. DC. L.

† *Doctor Marcus Antonius Alaymus Academiæ Princeps.*
† *Doctor Saluator Brixanus Academiæ primus Assistens.*
† *Doctor Prosperus Pellegrinus Academiæ secundus assistens.*

† *Doctor Castrensis SanctAngelus Secretarius.*

EGO Philosophiæ, & Medicinæ Professor Ioseph Petronillus Panormitanus huius Nouæ,Nobilis,ac Salutaris Academiæ Panormitanæ communibus suffragijs huius anni Censor electus, fidem facio, legisse me hanc Medicinalium Disceptationum Decadem à Doctissimo Artium, & Medicinæ Doctore Augustino de Laurentio Panormitano, ac nostro Academico concinnatarum, & hoc ipso anno publicè in dicta Academia habitarum, in quibus nedum aliquid inueni, quod imprimi illas vetet,sed omnigenæ Doctrinæ, Eruditionis, elegantiæ plenas vidi. Quapropter dignas censeo, quæ publicę omnium vtilitati, ac literarum ornamento Typis excudantur.Datum Panormi dię 4. Iunij M. DC.L.

† *Doctor Ioseph Petronillus.*

EGO Laurentius Mussumeci Philosophus,& Medicus Panormitanus ac Nouæ,Nobilis,& Salutaris Academiæ huius felicis Vrbis præsentis anni Censor,ac reuisor,hosce Medicos discursus ab Eximio Doctore,& Academico Augustino de Laurentio compositos,& hoc anno in eadem Academia recitatos,perlegisse testor;eosque dignos,qui, vt maximè elaboratos,ad publicam studiosorum vtilitatem prælo mandentur, iudico.Datum Panormi Nonis Februarij anno M. DC. L.

† *Laurentius Mussumeci Ar.Med.Doct.qui supra.*

EGO

EGO Andreas Vetranus Philosophiæ, & Medicinæ Doctor Panormitanus, Panormi publicus Anatomiæ Professor Nouæ, Nobilis, ac Salutaris Academiæ huius felicis Vrbis infimus Alumnus, ac Censor perlegi, atque hilari animo audiui Medicos Discursus ab Egregio Doctore Augustino de Laurentio compositos, & in prædicta Academia ab eodē recitatos, eosque omni doctrinarum, & eruditionum genere refertos ad commune studiosorum hominum commodum imprimendos censeo, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur, in fidem &c. Datum Panormi Die 15 Aprilis M.D.CL.

† *Doctor Andreas Vetranus.*

AVGVSTINO
DE LAVRENTIO
Inclytæ Academiæ Panormitanæ Professori eximio.

GAVINVS FARINA SARDVS
Turritanus, eiusdemq; Vniuersitatis olim Medicinæ Professor, nunc verò Ducis de Montalto à cubiculo Medicus.
S. P. D.

PErfunctus suscepto munere indagandi Sardiniæ febris naturam, & hac seposita typis cura, obiter sapientissime Doctor opus lepidissimum non adhùc typis excussum tuo nomine praditum ad meas peruenit manus, quod incredibili sanè gaudio me affecit; quin (vt veriùs loquar) in ingen-

ingentem, & insolitam admirationem me rapuit: Cum enim non solum dubia difficilia, theoricas disputationes, & inextricabiles difficultates praeceptorum more in eo enodatas animaduerterim, sed etiam rectam medendi methodum luculenta doctrina refertam obseruauerim. Vidi certè te iuuenem elapsis temporibus in publicis pathologicis thesibus de re Apollinea disertè differentem; at non adeò prouectum, vt inter celeberrimos artis professores te esse enumerandum putarem. Nunc verò ob ingenij tui dotes, verborum vbertatem, ac concinnitatem, doctrinam disertissimam, te strenuum medicinae militem, & vsque ad sydera euectum contemplor, atque veris Hippocratis placitis te decoratum conspicio. Quapropter meritò inter magnates, & artis Apollineae viros peritissimos dignissimè recensendum esse non vereor. His profectò tuis lucubrationibus omnia, quae ad facultatem medicam pertinent graphicè, ac perbellè dilucidasti, & ad rectam viam duxisti, omnem artis caliginem ingenij tui acumine dissipasti, & ad placidissimam serenitatem reduxisti. Si ergò tuorum laborum primitijs in arte medica te adeò eruditum, & exercitatissimũ esse demonstras, quid indè in futurum facies? Age igitur mi doctissime Doctor, his enixè insiste; & si ad optatum scientiae gradum, & dignitatis culmen peruenire cupis, ab incepto instituto non discedas. Quo, & tua ingenij facundia, ac mira solertia non solum hostium rabiem, & inuidorum superbiam cõpesces, sed etiam Hippocraticam doctrinam his temporibus tã desertam, & obscuram instar solertissimi Medici omnibus claram, manifestam, & iucundam ostendes, polies, atque perficies. Vale, & me inter addictissimos seruos habeas, & iterum vale.

DE

DE OPERE AVCTORIS
D I R E C T O
AD EMINENTISSIMVM
CARDINALEM MONTALTVM
E P I G R A M M A.

DOCT. D. ALPHONSI SALVO PANORMITAN'
ACADEMICI REACCENSI.

DVM Canis æstiuis latratibus aera complet,
Omnis & ardenti fide re feruet humus;
Vmbra Viatores deffessos protegit æstu,
Seu Montes hanc, seu frondea tecta dabunt.
AVGVSTINVS iter Medicæ sermonibus Artis
Percurrit doctis, latrat & inuidia;
Ore venenato prælargius euomit ignes,
Et tàm culta nocens vrere scripta cupit.
Iure ergò ad MONTEM festinus confugit AETVM:
Maior nàm ALTIS de MONTIBVS vmbra cadit.

CAROLI PETRETTI PANORMITANI
ACADEMICI REACCENSI
Anagramma purum.

AVGVSTINVS E LAVRENTIO

ERIT VITA NOVVS GALENVS

Epigramma.

EN Iuuenis nunc quanta aperit, quibus artibus ingens
Eloquium nobis præbet, & ingenium.
Iure senectutis simul est, & Norma Iuuentæ
Et NOVVS in VITA iure GALENVS ERIT.

IVRIS

IVRIS; CONSVLTI

DIDACI ANTONII CASALETTI

ACADEMICI REACCENSI
Epigramma.

Auctoris Liber commendatur.

ÆTernum viuet, numquàm moriturus, in Æuum
AVGVSTINE, tuus, qui petit Astra, Liber.
O quàm docta affert grauibus Medicamina Morbis
Vndè etiàm morbos negligis Inuidiæ.
I nunc, viue diù, sàt fortunate Libelle,
Magna tuis oritur gloria nàmque notis.
Ægris dùm vitam das, liuoremque repellis,
Viue Liber, Mortis Liber ab insidijs.

FRANCVS OVANIVS THYTIMARI
ACADEMICVS REACCENSVS
Amico suo.

Hoc Epigramma D.D.

SIc benè morborum caussas, medicamina tractas,
Tantaque de nostra cura salute tibi est;
Sic annos, quos dura studet Mors demere, cunctis
Arte tua in multos protrahis ipse dies;
Vt te formidet Mors omnibus ipsa timenda,
Dente tuo vt Tempus carpere nolit edax;
Ergo quanta tibi debetur Gloria, vincis
Qui nunc ingenio Tempora, fata tuo?

DOC-

DOCTORI OPTIMO,
MEDICO Doctissimo,
Bonarum Artium Cultori exactissimo;
Ephœbo decrepito,
Phœbo,
Cuius artem numquàm intermisso
Labore excolit,
Percarus;
Chorus quem Musarum
Certatim laudet;
AVGVSTINO LAVRENTIO,
Cuius
Circùm Tempora Gloriæ
Serpit Laurus;
Qui,
Ætatis anno vigesimo
Non dùm exacto,
Laurea donatus,
Tamquàm præstantissimus
In arte omnium præstantissima
Doctor renunciatus,
Vt Iuuentute,
Sic doctrina
Phœbum penè imitari visus est:
Qui
In Panormitano Athenæo
Paratissimus semper ad omne Disceptationum
Genus
Numquam siluit,
Vbi sapienter loqui licuit;
Numquam omnes in ipso laudando,
Quod semper licuit,

Siluere;
Hoc grati animi
Mnemosynon amoris ergo,
Erga amicum suspiciendum
Indulgentissimus
HYACINTHVS MARIA FORTVNIVS
Academicus Reaccensus
D.D.

EIVSDEM EPIGRAMMA.

SI mihi Treÿcio resonet lyra pectine tacta,
Aoniumque fluat dulciùs ore melos;
E meritas possem vix, Augustine, camœnis
Excultis laudes concelebrare tuas.
Vsquè adeò eximia prastas in Apollinis arte,
Prasentemque affers omnibus artis opem.
Artem crediderim Phœbo didicisse magistro
Te, qui Phœbao praditus ingenio es.
Qui dedit ergò tibi Medicinæ hac luce nitere,
Is te pracipuà laudet Apollo Chely.

AVC-

AVCTORES,

Qui in hoc libro adhibentur.

ABulensis
Aetius
Albertus Bottonus
Albertus Magnus
Albertus Krantzius
Alexander Aphrodiseus
Alexander Benedictus
Alexander Massaria
Alexander Trallianus
Andreas Baccius
Andreas Laurentius
S. Anselmus
Antonius Musa Brasauola
Antonius Panormita
Antonius Santorel.i
Aretæus
Aristoteles
Arnaldus à Villanoua
Ascerach
Asclepiades
Auenzoar
Auerrhoes
S. Augustinus
Auicenna
Bartholomeus Cubrolius
Beneuenius
D. Bernardus
Bonamicus
Botallius
Carolus Piso
Carolus Sigonius
Celius Aurelianus
Celius Rhodiginus
Cæsalpinus
S. Chrysostomus
Christophorus à Vega
Christophorus Guarinonius.
Cicero
Columella
Cornelius Celsus
Cornelius Tacitus
Crysimachus
Curtius
Dalecampius
Daniel Sennertus
Dantes Aliger
Dilectus Lusitanus
D. nus
Diocles
Dioscorides
Diophanes
Dodoneus
Donatus Antonius ab Altomari
Æneas Sylvius
Epifanius Ferdinandus
Erasistratus

Euenus Poeta
Eustachius Rudius
Eustathius
Felix Platerus
Eminentissimus Ferdinandus Ponzettus Card.
Fortunatus Fidelis
Fortunius Licetus
Franciscus Cytesius
Franciscus Petrarcha
Franciscus Valleriola
Franciscus Vallesius
Galenus
Garimbertus
Gauinus Farina
Gentilis
Guilhelmus Fabricius Hildanus
Guilhelmus Rondeletius
Henricus
Hercules Saxonia
Herophilus
Hieremias Triuerius
Hierocles Stoicus
Hieronymus Cardanus
Hieronymus Mercurialis
Hippocrates
Hollerius
Homerus
Horatius Flaccus
Horatius Augenius
Iacobus Mantinus
Iacobus VuecKerus
Iacotius
Ioannes Argenterius
Ioannes Baptista Cortesius
Io. Baptista VanHelmont
Ioannes Costæus
Ioannes de Ianduno
Ioannes Manardus
Ioannes Paschasius
Ioseph Galeanus
Isaac
Iulius Alexandrinus
Iulius Cæsar Benedictus
Iulius Cæsar Scaliger
Lactantius
Laertius
Langius
Laurentius Ioubertus
Leuinus Lemnius
Lucius Apuleius
Lucretius
Ludouicus Mercatus
Ludouicus Serranus
Marcellus Donatus
Marcus Antonius Alaym[9]
Marsilius Cagnatus
Marsilius Ficinus
Martinus AKaKia
Martinus Delrio
Matthiolus
Mauricius Cordæus
Moxius
Nicarchus
Nicolaus Nancelius

Nico-

INDEX DISCEPTATIONVM Primæ Decadis.

caulta



ERVDITO LECTORI
TYPOGRAPHVS.

EA est omnium rerum, quæ in vniuersa Mundi totius mole diuinæ Potentiæ magnificentiam prædicant, vt summis etiã honoribus vitia quædam (dicam ne ipsius naturæ?) misceantur. Sic etiam Ars Typographica, omnium quinimò vel in primis hoc vitio laborat. Hoc innui, vt dùm nonnullos ortographiæ errores obseruabis, vndè excuses nos, habeas. Res certè ineuitabilis. Poterat Auctor illos castigare, vt moris est; sed id nec potuit, nec voluit; nam ita sunt, vt facilè illos videre poterit quisquis is erit, qui leget, ni vel Inuidus, vel Ineruditus sit. Vale.



AVGV-

AVGVSTINI DE LAVRENTIO

PHILOS. ET MED. PAN.

DISCEPTATIONVM MEDICARVM DECAS PRIMA

An Homo Poſsit Naturaliter Viuere Diù Sine Cibo.

DISCEPTATIO PRIMA.



IVENTEM necessariò nutriri, nemini dubium esse video, N.N., cùm enim vita sit mãsio calidi in humido ex *Aristotele*, a & *Galeno* b eousq; cõseruatur, & protrahitur, quoùsque calor humido, tamquàm pabulo nutritur, & conseruatur: quamobrem vitale humidum semper debet cõseruare viuens, ad hoc vt conseruet substantiam caloris innati, vires, vitam ipsam; quod docet *Galenus* c dùm ait: *Quippe hùc dirigitur in his consilium, vt ipsas Animalis particulas seruemus humidas, quæ res omnis temperamenti communis aliquo*

a *Lib. de respirat.*
b *Lib. 1. aph. 14.*
c *Lib. 6. de sanit. tuenda cap. 3.*

modò contraria ratio omnium Animantium corpora citiùs ad senectutem perducit, ipsaque est, cuius culpa omne gentium corpus mortale sit. Quippè si fieri posset, vt temperamentum corporis humidum perpetuò seruaretur, verus Sophistæ, cuius inter initia operis memini, sermo esset, qui sibi auscultantem promisit immortalem fore. Sed quoniam Natura progressum, qui est ad siccitatem, effugere corpori non licet, vt antè docuimus, idcircò senescere nobis, corrumpique necesse est. Erit tamen id maximè diuturnum quidquid minimè siccatum. Indicat igitur substantia caloris innati pro sui conseruatione humidum sibi simile, cùm eius ratio in humido consistat. humidum autem, non erit id quod continuans appellatur: cùm non conueniat corpori animato, eiusque partibus in quantùm animatum existit; sed vel acceptum à primordijs generationis, vel acquisitum corpore generato: duplex enim hoc humidum tantùm dicitur viuificum; quorum primum præcedit alterum, quemadmodum generatio præcedit generatum; duplex hoc humidum est tantùm subiectum caloris viuifici, qui vt viuificus solùmmodò instrumentaliter seruit Animæ ad actiones vitæ exercendas in corpore animato: calor enim viuentis omnium vitæ functionum auctor erit censendus, quatenùs est primum, & vniuersale facultatum, & animæ in omni opere instrumentum. hinc licet inferre cum *Villanonano* [d] humidum radicale esse in viuentibus corporibus illud; quod in ipsis, eo-

d cap. 5.

rum-

rumq; partibus est primum subiectum calidi eis debiti secundùm exigētiam sui viuere, siue actionū vitæ, quas Anima in eis exercet, ideòq; cōceditur solū viuenti corpori, eiusq; partibus in generationē, seu prima fabricatione ipsarū.

Verùm enim verò cùm humidum hoc solū ex materia spermatis acceptum tàm modicæ quantitatis sit, vt tota corporis animati duratione non sufficiat ad actiones vitæ præcipuè in multis, magnisque corporis partibus, nisi augeatur: Augmentum autem eis non fiat nisi secundùm speciem, prædictum humidum in sua substantia debet augeri. Augmentum verò tunc fit, quandò augens transit in speciem augmentati per actionem nutrientis virtutis assimilantis, et transformantis nutriens in speciē nutriti, et augmentati; ideòque augmentatio prædicti humidi necessariò fit, et completur per famulatum, ac vnionem nutrientis virtutis ad augmentatiuam: si igitur prædictum humidum ob continuam deperditionem cùm augmentatiua operatur, si nutritiua potest cōuertere quantum augmentatiua requirit ad maius deperdito multo, poterit etiam conuertere ad equale, vel minus. Hinc apertè sequitur nutritiuam posse restaurare in toto, vel in parte deperditum humidi radicalis, quod quia est tàm modicum non sufficit substinere actionē continuam caloris naturalis tota duratione corporis animati, requirit aliud humidum, quod superueniēs, vel nutrimētale vocabitur,

vel fluens, per quod ipsum restauratur, et administratur pabulum calori continuò in humidum agenti, ac tres corporis præcipuas substantias consumenti, et destruenti. quamobrẽ prouida Natura ad triplicis substantiæ perennem, continuumque defluxũ in humano corpore reparandum, tribus item substantiæ generibus prouidit, reparauit: Aere scilicet; quo ad caloris, et spirituum in corpore attemperationem, restaurationemquè media respiratione vtitur: solido alimento vt pane, carne, et similibus, quo solidæ substantiæ defluuium suppleret; humido demùm alimento, potabili nimirùm, et liquido, quo mediante, quidquid humidioris substantiæ fuerit consumptum recuperaret, resarciret: ideòque eadem Natura in primordijs generationis tres animalibus facultates donauit, Naturalem scilicet, seù Nutritiuam, Vitalem, et Animalem, quibus, iuxtà communem omnium sententiam, ad omnes vitæ operationes animalia instruxit, ac præparauit: nàm ab intrinseco, hoc est, cùm primò generãtur, habent primò, quod nutriantur, deindè, quod viuant, demùm, quod sentiant, et moueãtur; ideòque facultates, quæ et Nutritioni, et Vitæ, et Sensui, ac motui inseruiunt, impertiuit: quarum potentię ab ipsismet operationibus dignosci possunt: quandoquidem prima, Nutriẽs scilicet, non desinit postquàm Animal est genitum, sed semper aggenerando per nutritionem continuam perseuerat: hæc enim ad con-

tinuam primigenij humidi restaurationem fuit genita. Secunda dicitur vitalis, siue custodia, aut conseruatio, estque illa, sinè qua aggeneratio esse, sinè qua vita duci non potest. Tertia dicitur animalis, per quam Animal imminentibus prouidet periculis, constat sensu, motuq; His tribus facultatibus triplici mũdo mundus paruus (vt de præcipuo inter Animalia loquar) triplici macrocosmo microcosmus correspondet: Nutriente enim elementari correspondet, cùm elementa in continua sint nutritione, & transmutatione vnius in alterum. Vitali, cælestem æmulatur, cùm cælestis virtus sit totius vniuersi vita conseruatrix. Animali denique facultate, intelligentiæ, aut mundo intelligibili comparatur; à quo omnis prouidentiæ fons emanat, & qui omnia suauiter statutis ordinibus disponit, mouetque. has ce tres facultates in vna Anima sub specie Deę, cũi tria insunt nomina, fabulosa repræsentabat antiquitas: propterea vetustissimam Deorum matrem, Cœli, Terræque filiam, nunc Rheã, nunc Vestam, nunc Cybelen appellabat. Rheã, quæ idem, ac concursum, seu affluentiam significabat, quia Nutritio per affluentiam nutrimentorum fit: Vestam, quia vitæ conseruatio perpetuæ ignis custodię correspondet: Cybelen denique, quia, vt in furorem homines agit sensum, motumque corrumpens, sic Mortalium precibus sensationes, mutionesque tuetur; per quas facultates Anima, quæ per se, ad

om-

omnia operanda indifferens est, ad has, aut ad illas determinatur. Hæ quoq; præter sua organa, & sensoria, habent calorem innatum, proprium earum instrumentum, quem ad se trahunt, quo operantur determinando animam ad has, aut illas functiones non determinatæ à calore. de quibus quidem singulis facultatibus aliquid libenter pro viribus dicerem, ni vestra humanitate, atque attentione abuti viderer, N; ni à nostro instituto recedere aliquantisper vererer. Qua propter quæ ad vitalem, & animalem facultatem faciunt prætercam, breuiterque, quæ de naturali ad nostrum quæsitum spectant, quasi per rerum capita, percurram.

Fuit instituta naturalis facultas à Natura ad nutritionem efficiendam, quæ est refectio, seù separatio substantiæ, quæ incessanter à calore naturali resoluitur per substantiæ similis aggenerationem; facta autem nutritione, adhùc humidum, quod in carne, & cæteris partibus est, consumitur à continua actione caloris naturalis, ex qua consumptione oriuntur etiam pori, deindè iterùm sanguine replentur, qui iterùm in substantiam conuertitur, & nutrit, quæ vsque ad vitæ finem sequitur, cùm sẽper nutriantur animata. Hinc patet nutritionem, quia reducitur ad substantialem mutationem, non distingui à generatione ex *Aristotele*, [e] discrepare tamen ab illa in hoc, quod generatio respiciat substantiam, nutritio verò quãtitatẽ; ideòque dixit *Galenus*, [f] nutritionem esse eua-

e lib. 1. de generat. et corrup. t. 41.

f lib 4. de simp. med. facul. c. 10

cuati

cuati repletionem, respiciens ad quantitatem. & licet multi negent per nutritionem restaurari id, quod in corpore deperditur, tùm quià ex hoc sequeretur vitam fore æternam, cùm semper vnumquodque possit in eadem operatione persistere; tùm quià per nutritionem facultas nutritiua non restaurat humidum radicale, sed nutrimentale; tùm etiàm quia in senibus minùs restaurat eo, quod deperditum est: tamen falsum asserunt, cùm certè per nutritionem facultas nutritiua restauret id, quod est deperditum: nàmque per nutritionē certè & si non acquiratur humidum radicale purū, acquiritur tamen saltèm impurum, & ideò necessariò aduenit Mors, ipso perueniente ad tantam impuritatem, vt sit ineptum animæ domicilium, & caloris vitalis sedes; ideòque vita æterna non est; quod ex verbis Galeni superiùs citatis rectè colligi potest.

Conseruatur itaque, & protrahitur vita per augmentationem, per nutritionem, per alimētum, ex cuius assidua ingestione, & subministratione humidum illud substantificum, quod continua actione naturalis caloris consumitur, quasi reficitur, ac reparatur: ex ijs enim noua quædam appositio humidi fit, quod quamuis non adequet primigenium, attamen est quid simile, per quod calori agenti pabulum subministratur. hinc maxima nutritionis necessitas ad vitam conseruandam manifestè deducitur; hinc necessarius alimentorum adusus ad vitā diu-

diutiùs protrahendam apertè colligitur, quã nutricationis egestatem, ac incrementi consequentiam describens *Lucretius*, g cecinit.

g lib.4.

Illud item non est mirandum, corporis ipsa
Quod natura cibum quærit cuiusque Animalis.
Quippè etenim fluere atque recedere corpora rebus
Multa modis multis, docui: sed plurima debent
Ex Animalibus iis, quæ sunt exercita motu.
Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur:
Multa per os exhalantur, cùm languida anhelant.
His igitur rebus rarescit corpus, & omnis
Subruitur Natura, dolor quam consequitur rem.
Proptereà capitur cibus, vt suffulciat artus,
Et recreet vires interdatus, atque parentem
Per membra, ac venas, vt amorem obturet edendi.

quam alimenti indigentiam respiciens benigna Christi sectatorum Mater Ecclesia in Quadragesimali ieiunio permittit nos semel in die cibos capere: nisi enim fluxa nimis humana obstaret fragilitas, totos quadraginta dies, ad Christi Domini imitationem, absque vllo alimẽto exigere, peccatis nostris id merẽtibus, necesse foret. Qua quidem alimenti necessitate reddor anceps, credam ne posse Animal diù sinè cibo viuere; multa Animalia, quamplurimos homines diù absque alimento in vita perseuerásse; quorum exemplis ni sapientissimorum virorum paginæ replerentur, procul dubió tamquàm fabulosa paruipenderem, ác despicerem. Qui enim fieri posse videtur, vitã conseruari absque humido, cùm sit mansio ca-

lidi

lidi in humido? quapropter *Galenus* [h] citatus caussam præcipuam mortis reddens, assignat exsiccationem humidi, affirmando ipsam esse senectutis caussam, ipsam mortis originem, idcircò enim senescere nobis, corrumpique necessè est, quià naturæ progressus est ad siccitatem, propterea erit maximè diuturnum quidquid minimè siccatum: quandoquidem si ciborum paucitas vires imminuit, quamuis per accidens, nàm quæ exiguè nutriunt per se vires non imminuunt, sed solùm quatenùs eas, vt satis sit, non roborant, quod *Galenus* [i] innuit his verbis *ciborum paucitas, aut eorum, qui parũ nutriunt vsus, vires summè imbecillitat*, quid faciet, quæso, longa inedia, per quam calor non suppeditato alimento absumit humidum, exsiccat corpus? certè viuentis corruptionem, hominis mortem caussabit, cùm Animalia sub cœlestia nullo possint modo viuere, ni seruetur in eis calor primigenius, per quem Anima vnita fuit corpori, per quem vita custoditur, conseruatur, protrahitur; quod suauissimè concinit *Lucretius* [K]

Scilicet & nisi nos cibus aridus, & tener humor
Adiuuat amisso iàm corpore, vita quoque omnis
Omnibus è neruis, atque ossibus exsoluatur.

hic verò calor in viuentibus incolumis haudquaquàm seruari possit, ni temperetur iugiter, ne tàm citò humidum radicale depascatur, quam quidem refrigerationem, attemperationemque non aliundè habere potest nisi ab ali-

h *lib. 6. de sanit. tuenda*

i *lib. 3. acut. tex. 17*

K *lib. 1.*

l lib 2. de anima c 7 m lib. 4 de abstin. ab esu carniũ

mentis, vt pulchrè obseruat *Marcellus*, l proptereà *Porphyrius* m exoptabat hominibus id à Deo concessum, vt potuissent absque cibo penitùs, & absque potu agere vitam. Neutiquàm igitur credendum est, sublunarem vitam diutiùs absque alimentis posse consistere.

n lib 1 de rat. vict. in acut. comm. 44. o lib. 7. p. 51. p libro 4. phys. t. 97. q in commentu.

Fateor equidem, N, quod his rationibus ductus in vnam, eãdemque item sententiam cùm *Brasauola*, n *Plinio*, o *Aristotele*, p *Simplicio*, q alijsque affirmantibus longè à veritate alienum, ac fabulosum esse homines posse naturaliter viuere absque alimentis, quamplurimos diù sine cibo, & potu vixisse; ni testimonium hominum integerrimæ fidei, minimèque pœnitẽdæ doctrinæ diuturnum ieiunium in multis obseruantium, ni diligentia, & exquisitissima custodia, ac obseruatio huiusmodi ieiunantium facta per viros doctissimos tùm sponte sua, tũ magnorum Principum iussu contrarium ostẽderet, demonstraret; non ideò puto, vllum ex vulgatis, & à scriptoribus celebratis ieiunijs esse fabulosum, ac fictitium: multa enim sũt prorsùs à veritate aliena, vt videre est apud *Aristotelem* citatum de illis, qui apud Heroas in Sardo multos annos absque alimentorum vsu dormierunt, apud *Olimpiodorum* de homine illo, qui aere tantùm vescebatur, & sole; fabulosum pariter est, id quod a Platonicis affertur de hominibus in sublimi, ac pura illa terra viuentibus, quorum meminit in *Phadone Plato* dùm ait (referente *Ficino*) Indigenas illos abs-

que

que nobis consuetis alimentis puro aere inspirato vitam ducere; sic inter fabulas numeranda censeo ieiunia ab *Ouidio* decantata, & de Orphæo, de quo [r] cecinit. r *lib. 4. metamorfos:*

Sex illum noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina viderunt inopem, somnique, cibique
Per iuga, per valles, quà fors ducebat euntem

& de *Clitia*, [s] dùm concinit. s *ibidem*

Perque nouem luces expers vndaque, cibique
Rore mero, lacrymisque suis ieiunia pauit.

sic poeticum arbitror figmentum, quod inter facetias posuit *Pogius Florentinus*, biennalem scilicet abstinentiam viri, & duodecim annorum ieiunium puellæ cuiusdam; sicut etiam Germanam mulierem, quam triginta annorū inedia claruisse fabularum scriptor insignis testatus est *Boccatius*; sic purum est figmentum, quod ab *Areosto* de Rabicano equo proponitur ex vento, & flamma genito, & aere puro enutrito, eo modo quo fabulosum creditur à *Trogo Pompeio* id quod à *Plinio*, *Varrone*, & quamplurimis alijs perhibetur; Equas nimirū iuxtà Tagum in Lusitania vento concipere; cuius rei meminit etiam Etruscorum Poetarū Princeps *Tassus Cant. 7. st. 76.*

Volta l'aperta bocca incontra l'ora,
Raccoglie i semi del secondo vento,
E de' tepidi fiati (ò marauiglia)
Cupidamente ella concepe, e figlia.

Non dissimile fortassè est id, quod de Astomis refert *Strabo*, [t] qui sinè ore, corpore toto hir- t *lib. 7. c. 2*

tam vestiunt frondium lanuginem, halitu tãtùm viuunt, & odore, quem naribus trahunt, quod falsum esse affirmat, quicumque remotissimas Indiæ regiones, & circà fontem Gangis perlustrauerit, vt scribit *Rhodiginus.* u

u *lib. 24. cap. 21.*

Verùm si lubens do volenti relata, & similia, fabulosa esse, fictitia, minimè idcircò negauerim infinita esse, ac enumeratis maiora, fide digna, ac vera: quis enim inficiari velit id, quod sacræ paginæ affirmant de Sara, x Edissa, ac vniuersa Iudæorum gente, y quę sub Assuero Rege triduum ab omni cibo, potuque abstinuit? quis non credet Hierardum Sagredũ Venetum nobilitate, & sanctitate illustrissimũ consimili abstinentia olim floruisse, vt narrat in eius vita *Villegas*? Solensẽ virũ fuisse nomine Tespesium, vt narrat *Plutarchus*, z qui de sublimi loco in ceruicem delapsus, ictu absque vulnere accepto, cùm mortuum eum omnes existimassent, tertia post die sub ipsam funerationem reuixit? Sabini vxorem necis mariti accepto nuntio lamentantem, & eiulantem, humoque deiectam tres dies, ac totidem noctes sine cibo exegisse, vt idèmmet *Plutarchus*, a asseruit?

x *Tob. 3.*
y *Esther cap. 4.*

z *Opuscu. de his, qui serò à numine puniuntur.*

a *Opusc. amatorio ad calcem*

Tridui ieiunium attuli, N., quid de diutina, quid de mensium, quid de annorum inedia dicam? tempus certè non sufficeret, si cuncta prosequar: idcircò aliqua breuiter adducam, eaque præcipua. Cornelius Nepos Atticum quinque, totidemque diebus absque cibo vi-

xisse Moscouitas, refert *Cardanus*, b qui etiam nominat Leonardum Pistoriensem semel tantùm in hebdommada cibum sumentem; *Isocratem Rhetorem* ab alijs quatnor, ab alijs nouē dies à cibis abstinuisse refert se accepisse. *Plutarchus*, c virum illustrem melancholicum ad septimum diem sinè alimento peruenisse; obseruauit *Schenckius*, d *Carolus Clusius*, e & *Marcellus Donatus*, f referunt Sacerdotes quosdam Indos viginti interdùm dies nulla refectos alimonia vixisse, idem *Donatus*, refert ibidem ex *Brasauola* anno 1581. plures extitisse ægros, qui nil penitùs accipientes ad decimam quartam diem peruenerunt, ex quibus plerosque asserit, conualuisse. Eusebium Monachū Hispanum Medicum, virumque doctissimum, sexdecim dies ieiunium transegisse, narrat *Paulus Zacbias* hoc loco; *Horatius Augenius*, g rusticam mulierem se vidisse testatur, quę diebus viginti sinè cibo, potuque permansit; *Pythagoram*, refert ex Dicearcho Diogenes, absq; alimento quadragesimam diem substinuisse; Ludouici Pij Imperatoris cibum quadragenarium in ęgritudine solùm fuisse Sacrosanctum Christi Domini Corpus, narrat *Robertus Gaadguinus*; h *Magnus Albertus*, i virum melancholicum in Germania, Federico Secundo regnante, se vidisse testatur Coloniæ, qui optimè constitutus, claususque detentus septem septimanis sinè cibo vixit, alternis diebus haustu tantummodò frigidæ adhibito, quod sæpius

b *Lib. 7. de subtil. cap.10.*

c *Opusc. de vita de cem Rhet.*

d *Lib.1. obs. med. 253.*

e *In adnot. ad c.3 Garz. ab Hort.*

f *Lib. 4. de histor. med. mirabil. c.12.*

g *lib. 4. de sanguin. miss. c. 15.*

h *lib. 5. hist. frāc.*

i *lib.7. de animalib.*

pius

piùs trium, aut quatuor hebdommadarum spatio facere solebat. Mulierem pariter scribit fuisse, quę interdùm viginti, interdum triginta diebus nihil sumebat; & in quibusdam quæstionibus, vt ait *Gentilis*, refert quamdam Vetulam in Lombardia in Ciuitate Paduæ vixisse sinè cibo quadraginta diebus; Venetijs fuit, qui quadraginta diebus numquàm pastus exegit, cuius meminit *Franciscus Petrarcha*; k Paulus de Goitis, vt scribit *Marcellus Donatus* melancholia laborans, per menses viginti sex, & dies septem hominum consuetudinem pro virili auersatus, vllum vnquàm verbum edere auditus est, nec vt semel tantùm loqueretur vi, aut ingenio aliquo induci potuit, domum perductus per dies integros sexaginta septem, et horas tresdecim, nihil bibit, aut comedit, præterquamquod aliquandò aquam, aut vinũ ore hauriens statim reijciebat; *Vallescus Tarentinus*, l refert mulierem Alemannam sex menses sine cibo, et potu perseuerasse; Grauidam quamdam fęminam sex hebdommadarum curriculo absque vllo alimento permansisse, refert *Gullhelmus Fabritius*; m Puellam Marsiacensem vltrà annos quindecim absque cibo, potuque, adhùc dùm hæc ipse scriberet, viuere, scribebat autem anno 1612. *Fortunius Licetus* puellam attulit, quæ sexdecim menses ieiuna permansit. *In Annalibus Regum Francorum* legitur anno 823. regnante Ludouico Caroli filio in Tullensi territorio iuxtà Villam Com-

k *lib. 4. de mirab. c.22. tr.7.*

l *libr. 4. Philõ. c.5. not. 6. ex Iordan. de Turri super 4. de morb. c.2.*

m *Cent. 4. obseru. 30.*

Commercia cum puellam duodecim annorum per decem menses absque cibo vixisse; habemus disputationem de puella Germanica, quæ ferè biennium vixerat absque cibo, potuque ad Paulum Tertium P. M. à *Simone Portio* conscriptam, vbi refert quadriennale ieiunium puellæ Spirensis, de quo loquuntur *Langius*, n & *Torreblanca*; o historiam puellę in Gallia Narbonensi, quæ tres annos sine cibo, et potu vixit, recenset *Guilhelmus Rondeletius*, p *Sauanarola in Practica magna*, q narrat, quamdam Vetulam in Ciuitate, quæ vocatur Alumna, septem annis vixisse sine cibo; simile ieiunium extat publicatum *Heidelbergę decreto Magistratus anno* 1556. de quadam puella Victolis filia nomine Catherina; ex D'no Medico inquit *Mercurialis* r mulierē fuisse eius tempore, quæ septem annis sine vllo appetitu, ciboque vixit; in inferiori Germania mulier fuit, quæ triginta annis à quocumq; cibo abstinuit, vt refert *Donatus*; *Petrus de Abano*, s narrat fuisse mulierem annos natam triginta, quæ per decem et octo annos nihil cibi degustauit, et *differentia* 112. testatur fuisse mulierem, quæ per spatium triginta annorum nihil assumpsit cibi, et pro libito sanguinis profluuium è naribus excitabat. Et hæc hactenus dicta sint pro temporis angustijs, N, cùm non desint innumera ab innumeris relata Auctoribus exēpla, quæ apud *Laurentium Ioubertum decade* 1. *paradox.* 1., *Marsilium Cagnatum lib.* 1. *de sanit. tuen-*

n *Epist.* 2. *num.* 17.
o *in Epit. delict. ca.* 21. *l.* 2. *n.* 4
p *lib.* 1. *de pisc. c.* 13.
q *Trac.* 6. *c.* 13.
r *libro* 3. *pract. c.* 7.
s *in expos. sit. vlt. problem.* 10. *particulæ*

tuenda cap. 5., *Martinum Delrium lib. 2. disquis. magic. cap. 2.*, *Marcellum Donatum de med. hist. mirabili cap. 12. lib. 3.*, *Fortunium Licetum lib. 1. de his, qui diu viuunt sine alimento*; *Guilhelmũ Fabricium Hildanum pluribus in locis*, *Danielem Sennertum lib. 3. pract. par. 1. sect. 2. cap. 2.*, *Paulũ Zacchiam lib. 4. quaestionum Medico legalium tit. 7. quaest. 7.*, *Iulium Caesarem Benedictum lib. 7. epist. Medicinal. epist. 1.*, aliosque quamplures videre est, de quibus omnibus affirmantur, et multa ieiunia certis transacta temporibus, et quamplurima in quibus praefinita durationis mensura non habetur; ità vt de illis certè possit dici id, quod de nonnullis cecinit *Lucretius*. t

t lib. 5.

Namque Ceres fertur fruges, liberque liquoris
Vitigini laticem Mortalibus instituisse;
Cùm tamen his posset sinè rebus vita manere,
Vt fama est aliquas etiàm nunc viuere gentes.

Et haec quidem sunt, quę nobis praesentis disputationis praebent argumentum, accurata nimirùm indagine perscrutari caussas veras, propriasque tàm diuturnae abstinentiae.

Pro cuius rei inquisitione dicimus, innumerabiles esse Auctorum sententias, varias diutini huius ieiunii caussas reddentes; siquidem alij voluerunt, hos ali menstrui sanguinis portione ab vtero materno sibi recondita; *Valleriola* assignauit, huiusmodi ieiunij caussam esse puram consuetudinem; virtutes astrorum, vel vt alij peculiares influentias assignant *Petrus Apponensis*, et *Rogerius Bacconius*; *Costaeus* u aquã epo-

u lib. 1. c. 15. & lib. 4. c. 1. & 2

epotam, *Augenius*, x & *Manardus*, y odores, exhalationemque aerem obsidentem; *Argenterius* z aerem inspiratum; *Fortunius Licetus* a assignat æqualitatem, & proportionem caloris natiui, humidique radicalis. Quæ quidem eruditissimorum virorum opiniones, etsi magnũ indè nobis liceat ingenium arguere, permultis tamen difficultatibus obsidentur, quibus, vt mihi videtur, vndequaque satisfacere impossibile omninò est. *Licetus* enim multùm est procùl à veritate, dùm assignat pro caussa diuturnæ inediæ æqualitatem caloris cum humido; ità vt calor non possit agere in humidum, & è conuerso; non ideò nego hanc ęqualitatẽ posse dari, cùm existimem posse saltem per aliquod instans calorem peruenire ad intensionẽ ità proportionatam humido, vt in illud non possit agere; nego tamen hanc æqualitatem esse caussam diuturni ieiunij in assignatis: cùm non possit existere, & durare per longum tempus: namque intermissio nutritionis non potest dari, vt ipsemet concedit; quod rectè probat *Zacchias* dùm pluribus rationibus hanc sententiam optimè confutat. Quibus addo, quod ista æqualitas, si daretur, non posset diù durare, quin ab aliqua caussa saltem extrinseca alteraretur, & corrumperetur; imò si posset dari, maximè daretur in corpore Domini Nostri Iesu Christi, Sanctissimum cuius Corpus fuit omnium post homines natos temperatissimum, quod non potest dici, aliter sequere-

x lib. 3. Epist. med. 2
y lib. 18. Epist: 6.
z 1. Aph. cõment. 2
a libr. 4. cap. 59.

tur eius quadragesimale ieiunium fuisse naturale, non supernaturale, ac miraculosum, vt omnes & Theologi, & Medici affirmant, similiter errare mihi videntur, qui putant huius modi ieiunantes cibari vel aere inspirato, vel odoribus, ac exhalatione aerem obsidente, vel aqua epota: cùm hæc non nutriant: aer enim, & aqua, cùm sint elementa, & careant sapore, non possunt nutrire: siquidem nutritio, concoctio scilicet ex *Aristotele*, [b] est propria mixti affectio, quod probatur ex nostro antesignano *Hippocrate*, [c] *Aristotele*, [d] & *Galeno* sexcentis in locis, alijsque quamplurimis. Ad experimẽta tamen, quæ aduersarij possunt afferre, facilè respondetur. Camaleontem, & Manucodiatã vesci muscis, locustis, & similibus, Cicadas rore cælesti, Salamandram, & Animalcula in Cypri fornacibus non dari, et sic de cæteris. Verũ etsi concedamus nutrire, non nutriũt pro vt simplicia elementa sunt, sed pro vt impura, & mixta: sic aqua maris nutrit pisces, quamuis non possit per longum tempus; aer mixtus nutrit quidem, sed solùm spiritus, non alias corporis partes: quod pariter est dicendum de odoribus cum *Zaccuto*, [e] qui non nutriunt nisi spiritus: quare tamdiù viuere non potuissẽt illi homines, cùm partes solidæ solido indigeãt cibo; et licet *Oribasius*, [f] referat, quemdam solo mellis odore quadraginta diebus vixisse; tamen ego potiùs affirmarem cùm illis mendacem esse textum, et pro quadraginta quatuor

b *libr. 4. metheor.*
c *libr. de corde.*
d *lib. 5. de legibus*

e *lib. 1. de Med. Princip. hist. qu. 8. 9. & 10.*
f *lib. 1. aph. 12.*

tuor

tuor scripsisse dies: per hoc enim temporis spatium solùm spiritus nutriti odore poterant corpus in vita conseruare, etsi non sine viriū iactura. Fugienda pariter est illorum responsio, tamquàm Philosophorum auribus dissona; ab astris scilicet hęc posse prouenire, vt homines diutiùs absque cibo viuant. Quorum rationes facillimè dissoluuntur à *Liceto*, g qui etiam optimè confutat *Vallesiolam* h referentem huiusmodi ieiunij caussam ad puram consuetudinem. Asserentium ieiunantes vesci menstrui sanguinis portione ab vtero materno sibi recondita, non minùs ingeniosa, quàm impossibilis videtur opinio: impossibile enim videtur posse in corpusculo infantis enascentis tantū sanguinis materni occultari, quantùm ad nutriendum corpus per spatium multorum annorum requiritur: immò, si hoc esset, inueniretur locus intrà corpus pueri, vbi occultari possit menstruus hic sanguis à natiuitate ad iuuentutem vsque otiosus, et intactus; qui ex Anathome non inuenitur.

g lib. 2. c. 87.

h cap. 21.

His itàque reiectis opinionibus, vna remanet expendenda sententia, quam vltimam reseruaui, vt potè omnium nouissimam, à nemine vsque adhuc, vt opinor, exagitatam, quam affert eruditissimus *Daniel Sennertus* loco superiùs citato, qui caussam diuturnæ abstinentiæ statuit esse, humoris qui corpus nostrum conseruat, eam dispositionem, ità vt à calore nostro absumi non possit, quam quidem di-

positionem, siue proportionem variam esse affirmat, cum varius sit in corporibus nostris calor. Quandò enim satis est validus, materiã taliter, ait, esse dispositam, vt actionem eius possit substinere, hinc est quod plerique longo tempore ieiunantes actiones edunt præclariores, quandò verò debilis, et imbecillus est calor, eodem modo et materiam dispositam esse docet, vndè imperfectæ eliciuntur ab his operationes.

Posse autem materiam ità disponi, probat à pari, quia potest materia, quæ caloris, et ignis quasi pabulum est, ità disponi, vt ab eo non facilè absumatur, sed diù duret, et nihilominùs calor in ea, tamquàm in propria materia, et subiecto diù potest hærere. Ergò etiam potest humidum radicale, quod est pabulum, et materia caloris innati ità disponi, vt à calore non absumatur, vel saltem tardè absumi possit. quarè nihil, vel parùm dissipato humido, nullo alimento est opus: Siquidem partes tunc non attrahunt è venis, quia ipsis nihil deest: venæ etiam nihil ex hepate, et hoc nihil è ventriculo trahit, atque ità, quia nulla fit attractio, nullus fit appetitus. patet antecedens ex lucernis illis antiquorum, quæ Romæ, & in alijs plurimis Italiæ locis compertæ sunt, quarum flamma aliquot secula durauit. patet etiam ex *Scaligero* qui *1* Chymicos scribere, ait, è Iunipero factorũ carbonum tantam vim esse vt per annum integrum ignem teneat incorruptum.

1 Exercitat. 328.

Quo-

Quomodò autem, & qua de caussa humidum ità disponi possit, etsi explicare difficillimum putat, explicat tamen: asseritque ex maxima copia humoris melancholici in horum corporibus genito id prouenire. probat ex eo, quod sicut sulphur, & alia inflammabilia ex salsorum admixtione, & acidorum vel non accenduntur, vel tardè deflagrant, ità & ab humore melancholico, & bili atra, quæ tàm acida sæpè est, vt etiam stuporem dentibus inducat, alimentum corporis ità disponi potest, vt actioni caloris resistat. talis igitùr humor si per vniuersum corpus diffundatur, fieri potest, vt alimentum fixius fiat, & non facilè discutiatur; hinc itàq; diutinæ inediæ caussa ex Sēnerto petēda videtur, ideòque censet huiusmodi ieiunantes omnes humore melancholico abundasse.

Vlteriùs humorem hunc, quicumque sit, vt eius verbis vtar, qui diuturnæ huius abstinentię caussa est, dispositionem peculiarem accepisse ab vtero existimat, & indè probat, quod plerùmque ieiunantes omnes eo tempore cibos auersarunt, quo menses erupere, et semen in ipsis generari solet. quo tempore mira solent accidere sympthomata, atque inter ea etiam cibi, et potus appetitus abolitus.

Tandèm triplex exitum, & euentū istis esse ieiunij statuit. vel enim homines iterùm conualescunt, et edere incipiunt; vel moriuntur; vel in alium incidunt morbum, qui tamen in alium

alium morbum incidunt; alij rursùm comedere incipiunt, alij simul perpetuam ferunt inediam. Qui ergo ad sanitatem redeunt, et cibis iterùm assuescunt, in ijs humorem illum vitiosum planè absumi, et euacuari. qui verò moriuntur, in ijs vitiosum humorem calorem natiuũ tandèm superare, et extinguere. qui in ægritudinem aliam incidunt, ijs humorem vitiosum in partem aliquam priuatam decumbere docet. demùm pro humoris natura maiori resistentia, vel minori ieiunium hoc nunc citiùs solui, nunc diutiùs durare concludit.

Habetis iàm, N, nouissimam Danielis Sennerti opinionem. sed, aut omnia me fallunt, aut Sennertus strenuè hallucinatur. Non multis agam in re haud obscura. Aio diutini ieiunij caussam in assignatis non esse humidi ad calorem eam proportionem, vt illud ab hoc absumi non possit; neque valere paritatem quam assignat de igne inextinguibili veterum. Enim verò, hac admissa sententia, nonnulla sequi absurda necesse est affirmare: quandòquidem si tale daretur corpus, hoc esset immortale, & contrà leges, ac statuta naturæ viueret, cùm nulla indigeret nutritione, semperque eodem seruaretur modo, neque augeretur, neque decresceret, vt ex *Galeno* initio diximus illis verbis *Quippè si fieri posset, vt temperamentum corporis humidum perpetuò seruaretur, verus Sophista, cuius inter initia operis memini, sermo esset, qui sibi auscultantem promisit immortalem fore*, quod

cuius quàm

quàm sit absurdum, non opus est, vt probem. neque valet asserere tandèm hos homines, vel comedere, vel mori, vel in alium incidere morbum; nàm ex hoc manifesta insurgeret contradictio in *Sennerti* sententia: quodcumq; enim ex his sequatur, haudquaquàm hanc seruari proportionem infertur: quandoquidem ideò iterùm per *Sennertum* comedunt; quia humor hic vitiosus in eis planè absumitur; si absumitur, nonnisi à calore cum quo proportionem habebat: non enim poterat ab alio absumi, nisi à calore; neque ab ambiente, cùm nō possit excedere in intensione calorem internū, quem adeò debemus supponere validum, vt coctione mutata, chylum totum in humorem melaucholicum conuertat, et ità, vt ab eodē non possit absumi in eiusdem *Sennerti* sentētia, si igitur absumitur ab eodem calore, falsa erit allata opinio, nulla erit proportio: etenim humor hic non poterat statim absumi, sed paulatim; habitis enim ijsdem dispositionibus non est maior ratio cur hodiè statim absumatur, et non cras. Moritur secundò aliquandò talis homo per *Sennertum*, cum vitiosus humor calorē natiuum tandèm superat, ac extinguit; quam igitur proportionem assignabit inter humorē hunc, et calorem *Sennertus*? Demùm in alium incidit morbum, cùm humor ille vitiosus in aliquam decumbit partem. Sed quomodò poterit in aliquam decumbere partem, si toto corpori est impactus? Contradicit igitur sibimet-

bimet-

bimetipsi *Sennertus*.

Cuius opinio si valeret, sequeretur etiam omnes, qui diù sine cibo vixerunt, melancholicos esse, ac melancholico humore abundare; quod quàm sit absurdum, nec veritati consentaneum ex eo probari potest, quod plerùmque fæminæ visæ sunt naturaliter longū seruasse ieiunium, quæ corpore frigido sunt, et humido; deindè videtur mihi impossibile posse ità in his excedere calorem, vt destructo natiuo temperamento, in melancholicum degenerarent.

Similitudo autem, seu paritas allata ab ipso, scilicet materiæ ità dispositæ, vt ab igne non absumatur, quod exemplo Lucernarum antiquorum, et aliarum huius generis rerum probatur, et humidi radicalis cum natiuo calore, ex illo capite absona mihi videtur, ac discors; quia Lucernæ huiusmodi, cuius ignis quibus constaret, nos latet, non extinguebantur, quandò in sepulchris delitescebant: nàm vt tumuli aperiebantur, illicò humor, quòd caussas externas pati non poterat, extinguebatur. Aliter verò se habet calor natiuus in corpore caussis quamplurimis externis exposito; nàm, vt ab ipso conceditur *Sennerto*, huiusmodi homines deambulabant, atque provt varius est eorum calor cæteris hominum muneribus, atque laboribus plùs minùsue funguntur, vndè per apertos poros, per insensibiles halitus, sudoresque disperdi dicere non est absurdum.

Satis

Satis autem quantùm res ista exigebat *Sennerto* hùc vsque satisfecisse arbitror, Ornatissimi Academici: quod etsi pluribus responderi poteram, iam mihi non videtur diutiùs vestrorum aures defatigare; alibi fortassis aliquandò fusiùs rem pertractabo; iàm enim tempus est, omnium relictis opinionibus, ad nostram deuenire.

Verùm antequàm illam afferamus, debemus aduertere, cibum post præparationem, quæ fit in ore, in rebus solidis adeò necessariam, vt eã inter coctiones videatur aliquandò *Galenus* recensere, tres præthereà subire coctiones, quarũ prima fit in ventriculo, quandò vi caloris alimenta in ipso elaborantur, & in candidum quemdam succum, qui ptyssanæ cremorem refert, vertuntur, chylumque vocant Doctores. Secunda fit in hepate ex ipsomet chylo à stomacho elaborato, permeante per venas meseraicas à fundo stomachi, mediantibus intestinis, quibus hæ venulæ sunt annexæ ad ipsum hepar. vbi per vlteriorem transmutationem generatur sanguis. Tertia coctio euenit in singulis corporis partibus, quę tunc fit ex *Galeno* K cùm id, quod nutritur, halitus speciem in se recipit, quod completur in assimilatione assumpti alimenti: non potest autem compleri, ni priùs in primam humiditatem, deinde in rorem, demùm in cambium transmutetur, ex quo humiditas humido radicali simillima oritur. Verùm ad quamcumque istorum trans-

K *lib. 3. de sympt. causis cap. 3.*

mutationem modò opus est maiori, modò minori temporis spatio, pro vt validior, aut debilior erit stomachi calor, pro varia etiàm hominum ætate, varia complexione, annique temporis diuersitate. Etenim quoad ætates, iã constat non omnes habere eamdem temporis mensuram; siquidem qui crescunt, quia plurimùm habent calidi innati, plurimo egent alimento, ne corpus absumatur, ex *omnium Magistro*; Senibus verò, quia parùm calidi innati inest, paucis fomitibus est opus, ne à multis extinguantur. ex copia caloris, qua pueri pollent, colligemus, eos breuioris temporis spatio accedere ad vltimum terminum alimenti, hoc est ad assimilationem. est similiter incerta mensura ratione anni temporum: quippe hyeme, & vere calido naturali magis, quàm in alijs temporibus ventres abundant. incerta pariter est ratione Regionum, vt in libris de aere aquis, & locis potest videri. imò in vno, eodẽq; corpore mensura hæc incerta est; quippè aliquandò meliùs fit concoctio, quàm alio tẽpore.

Vt autem spatium, quod inter duas cibi assumptiones vnusquisque seruare debet, innotescat, recurrendum est ad famem, quæ de indigentia nos admonet, ad quam excitandam quinque requiruntur symptomata, vt docet *Galenus*, l Vacuatio scilicet, vacuatorum appetentia naturalis, ventris suctio, eius sensus, demùm appetentia eius naturalis. Hinc colligo famem consistere primario in vacuatione, ex

l *lib. 1. de sympthom. causs. c. 7.*

qua, teste *eodem Galeno*, *m* oritur alimenti necessitas. Euacuatio igitur, qua nostri corporis particulae indigentiam patiuntur, facit, vt hae trahant à venis, venae ab hepate, hepar à meseraicis, meseraicae à fundo ventriculi, fundus à ventriculi ore; quamobrem dùm particulae adhùc alimento humectantur, non indigent vlteriori alimento: at cùm primùm exsiccari incipiunt, simul incipiunt indigere, ac trahere; hoc autem ex dictis, quibusdam citiùs fit, quibusdam verò tardiùs, pro caloris absumentis ratione, quod ex absoluta inediae hora significatur.

m *lib.1. de sanit. tuenda c. 3.*

Sed vt propiùs ad nostram accedamus disceptationem. Dicimus, posse per aliquod tempus naturaliter inediam tolerari, etsi cùm virium dispendio, ac iactura. Probatur exemplo Medicorum Diatritariorum, quorum Dux Thessalus fuisse, perhibetur, qui triduũ aegrotos à cibo prorsùs abstinere cogebant, quorũ quamplurimos euasisse, est credendum. Suos autem nutriebant aegros, hoc modo, vt refert *Galenus* *n* primùm quarta die eos cibabant, mox sexta, posteà octaua. Probatur etiam ex *Hippocrate*, *o* qui quatriduanam inediam aegris in statu decernit, cùm *Galenus*, *p* id exponens, asserat, extremè tenuissimum victum nullum cibum esse, & *lib. de flat.* ait, quod si homo neque cibum sumat, neque potum, poteſt tamen dies duos, vel tres, & plures ducere. Probatur etiam ex *Galeno citato cap. 11.* qui dierum septẽ

n *libr. 10. meth ca. 6.*
o *libro 1. aph. 7.*
p *lib. 2. de dieb. decr. cap. 11.*

concedit inediam illis verbis, *quod si, præterquã quod iuuenis sit, & validissimis viribus præditus, etiam se longam inediam ferre posse ipsemet fateatur, ac præter hæc ægrè transpirabilis tibi appareat, ac nullo etiam tali morbo corripiatur, qui vel oximel, vel mulsam requirat, is omninò ad septem vsq; dies à cibis abstinere potest*, quod confirmat *Marsilius Cagnatus* q ex *Hippocratis sententia lib. de carnibus*.

q lib.1.de sanit.tuenda cap.5.

Hinc infero longitudinem temporis, in qua viuens naturaliter potest manere absque cibo, variam esse in varijs hominib': aliquibus enim quarta dies est lethalis, nonnullis quinta, quibusdam sexta, alij vndecimam exsuperant, plerùmque esse septem dierum, quàm statuit *Diuinus Senex*, dùm r inquit, *qui septem diebus absque vllo cibo permanserint, dehinc non possunt etiam volentes cibis subueniri, quia venter eos non admittit*, subditque rationem, *quia ieiunum intestinum in his diebus cohærescit*, quod etiam *Torreblanca* f confirmat. Enimverò nõ defuerunt, qui persuasi, vt ne desperarent se ipsos fame conficientes, ad edendum, ac bibendum, verùm venter non ampliùs suscepit, ieiunum etenim intestinum in his diebus concreuit, & mortui sunt. Exemplum habemus in Carolo VII. Galliæ Rege, cùm enim hic præ dolore, & iracundia aliquot diebus cibum, potumque capere renuisset, dehinc cùm vellet, non potuit. ità *Tarcagnotta*, t idem refert *Curtius* u de Sisigambe Darij Persarum Regis matre, quæ inedia perijt,

r libro de carnib. in fine.

f lib.2.ca. 28.epit.de litt. nu.2.

t lib.60.in principio.

u lib.4.de gest.Alexan.

cùm

cùm cibis aliquandò abstinuisset. idē vidit *Zacchias* in quodam sene Scoto, qui tribus diebus ieiunus permanens febre correptus, non potuit posteà cibari. *Platerus* x refert quemdam captiuum decimam quartam diem absque cibo exsuperasse, posteà volentem cibari, non potuisse, vndè expirasse citrà aliquod symptoma. Varia igitur est in varijs hominibus inediæ longitudo, pro varia hominum tēperie, ętate, & similibus. Quarè benè *Dantes Aliger* y describens Comitis Vgolini, & filiorum mortem ex fame hanc obseruauit varietatem, & filiorū minimum antè omnes occidisse, mox grandiores natu refert, vltimo loco patrem; vt ex sequenti carmine patet.

x in quæst. med. paradox. cent. post. n. 32.

y Comœd. inferni capit. 33.

Poscia che fummo al quarto dì venuti
Gaddo mi si gettò disteso à i piedi,
Dicendo, Padre mio, che non m'aiuti?
Quiui morì, e come tu mi vedi
Vid' io cascar li tre, ad vno, ad vno
Tra'l quinto dì, e'l sesto, ond' io mi diedi
Già cieco à brancolar sopra ciascuno
E tre dì gli chiamai, poiche fur morti,
Poscia più che'l dolor, potè il digiuno.

at quia maioris momenti esse solent res, quæ penè ob oculos proponuntur, quàm quæ ab antiquissimis temporibus nobis traduntur: exemplum afferam, quod superioribus annis mihi narrauit Georgius ab Alessandro Cretensis: cùm enim ipse Neapolim peteret, felicissima hac Vrbe discessus, casu nescio quo, Nauis

in qua deferebatur, deuoluta est, ac Nauis, & Mercibus in mare demersis, ipse, ac sex alij in aperto mortis periculo vitam defendere, ac conseruare cupientes, Nauis carinam manibus apprehendunt, & prima die iunior, secunda, & tertia duo alij ætate prouectiores fame consumpti diem obierunt: ipse autem qui senior erat, cùm tribus alijs eiusdem ætatis viris, eousque in vita ieiunus perstitit, quo, Turcarum Naui velificante, ab imminenti morte eorum ope euasit, quod quidem quarto die euenisse, enarrauit.

Verùm licet certus terminus, qui sit lethalis, assignari non possit, illud indubitatum est, raró quemquam vndecimum, rarissimè decimum quartum diem exsuperasse, quin fame è viuis tolleretur: nàm calor naturalis receptus, & substentatus in humido radicali, paulatim depascitur, ac seipsum, nisi nouo subueniatur pabulo, destruit, ex qua hominis destructio sequitur. quamobrem *Homerus* volens Priamum vixisse post longam inediam, illam duodecim dierum statuit, dum ità fingit eum loqui ad Achyllem.

Ex quo tui sub manibus meus filius perdidit animam, &c.

Nunc etiam cibum gustaui, & igneum vinum
Per guttur demisi, anteà certè neutiquàm gustaui.

à cæde enim Hectoris vsque ad Priami aduentũ in Achyllis tentoria, duodecim dies intercesserant.

His

His ità suppositis, remanet vt ad nostram conclusionem enucleãdam deueniamus. Quapropter dicimus, Impossibile esse viuentia sinè vllo cibo naturaliter viuere, homines longo tẽpore ieiunantes vitam traducere; iuxta illud *Aristotelis* z asserentis, vitam nil esse aliud, quã consistentiam per alimentum, quod confirmauit *Galenus*, a dùm ait *naturalium actionum prima, ac propemodum omnium maximè necessaria Nutritio est*. Hæc conclusio ex necessitate alimenti pro Nutritione, & Augmentatione superiùs assignata, remanet probata.

z *libr. de anim. tex. 2.*

a *lib. 3. de sympt. causs. c. 3.*

Quomodò igitur in exemplis assignatis homines, tàm longo tempore ieiunando, nutriebantur, iàm nunc aperiendum. Pro cuius rei intelligentia est sciendum, triplex dari alimentum ex *Hippocrate*, b & *Galeno* sexcentis in locis; vnum est verum alimentum; secundum quasi alimentum, & est sanguis; tertium futurum alimentum, & sunt cibi. Dicimus ergò, quòd quãuis diutiùs hi homines non vescebantur cibis externis, qui sunt futura alimenta, attamen nutriebantur alimento interno, ex humore scilicet crudo, ac pituitoso in eorum corporibus aggregato, qui quasi alimentum dicitur. hic enim humor fuit à natura ordinatus, ac intentus, vt, deficiente alimento externo, pro caloris natiui pabulo, & alimento inseruiat. quam sententiam sunt sequuti *Magnus Albertus*, *Ioubertus*, *Cytesius*, *Portius*, *Conciliator*, *Bottonus*, *Marcellus Donatus*, *Epiphanius* Ferdinandus, *Paulus Zacchia*,

b *libr. de alimento.*

chia, alijque quamplurimi.

Verùm non ex hoc sequitur, quotiescumq; deficit alimentum externum, vel adest pituitę aggregatum in corpore, posse homines ali pituitoso humore: siquidem multæ requiruntur conditiones ad hoc, vt hoc tantùm alimento contenta sit natura, ità vt externo nō indigeat: quandoquidem calor natiuus debet esse debilis saltèm respectu copiæ, & æqualitatis crudorum humorum, ex quorum copia naturæ oritur inappetentia: alioquin validus calor statim illam absumeret. Crudus autem hic humor debet continere in se humidum quid aereum, & vnctuosum, quod cum glutinosum sit, ac tenax, difficulter concoquitur, & in sanguinem abit. Pori debent esse constipati, ne calor citò dissipetur: ex pororum enim apertione sequitur indesinens spirituum effluuium, quod famem maximè augeret: cùm caussa adæquata famis, non solùm sit consumptio humidi radicalis, verùm etiam indesinens spirituū effluxus. Corpus denique ad frigiditatem, & humiditatem debet declinari; ideòque *Hippocrates* vult, senes facilè ieiunium ferre, vt de sexagenario illo vetulo est dicēdum, qui Auenioni, rarò, & per maxima interualla, quinque, sex, decem, & plures nonnumquàm dies absque cibo perseuerauit, quem refert se vidisse *Ioubertus*, c ideòque sæpiùs fæminæ, quàm viri visæ sunt, quæ naturaliter longum seruauerint ieiunium, quandoquidem sunt corpore frigido, humido, debili

c *Dec. 1. parad. demonstr. 2.*

li

li calore, stomacho frigido, multisq; crassis abũdant excrementis; idcircò per multum tẽpus non appetunt. hoc modò viuunt animalia citrà cibum, quibus corpus est hebes, & tardum, & ad quosuis motus, ac exercitia ineptum: ità viuit Cocodrilus quatuor hyemalibus mẽsibus nihil edendo: sic Echinus per annum absque cibo vitam agit: nec aliter Serpentum genus omne, ac lacertarum, Glires, Taxi, Vrsi, & Vulpes tota hyeme absque vllo cibo externo profundissimo somno detinentur. Quarè ex hoc muccoso humore eleuantur continuò vapores ad cerebrum, qui illud irrigando, eiusque ventriculos obstruendo, somnum efficiunt longissimum. Quamobrem non est mirum, si Epimenides, vt refert *Laertius*, d quinquagintaseptem annos perpetuò dormiuit; si iuuenis ille Lubicæ scholasticus tempore Gregorij II. P. M. ad septimum vsque annum in muro concamerato somnum protraxit, vt testatur *Albertus krantzius*; e si Lucomariæ populi in Sarmatia vi frigoris à mense Nouembris per quinque menses continuò veluti mortui absque cibo iacebãt, vt scribit *Franciscus Cytesius*, f ideòque *Posibius* rectè putauit, corpus non vti alimentis externis, ex eo quia Anima vacat à proprijs officijs per cataphoram, scilicet lethargũ, & intensiorem somnum.

d lib. 1.

e lib. 8. capit. 59.

f Opusc. de abstinenti consolent.

Hinc infero benè sentire Auctores, qui putant huiusmodi abstinentiam prouenire, vel ex imbecillitate caloris, vel colliquamentis in-

ternarum partium, vt *Bonamicus*; vel ex obstructione cutis, pororumque occlusione, vt *Benedictus*, & *Mercurialis*; vel ex constrictione, & cōpressione viscerum nihil nutrimenti admittentium, vt *Cytesius*; vel ex petrificatione partium ventris imi, vt *Quercetanus*. siquidem dixit *Hippocrates*, siquis in septem diebus nihil edere, aut bibere velit, posteà volens, nō poterit; quia ieiunū intestinū in his diebus cohærescit pro siccitate, vt omnes communiter exponunt obturatis etenim omnibus meatibus, nihil è suo corpore emitterent, quod alimentorum vsu restaurare deberēt; & vidimus obesos, & pingues homines diutiùs viuere absque cibo, quàm macilentes, & graciles viuant: quandoquidem calor post assumptionem cruditatum, & pituitæ, absumit ipsasmet pinguedines, quibus deficientibus corpus consumit, exsiccat, corrumpit. Est adeò enim necessarium alimentum in viuentibus, vt qui ieiuni permanent absque alimento interno deficiente pituitæ, crudorumque succorum aggregato non possint diù perdurare absque externo; quod etsi per os non trahunt, tamen per clysteres, & vnctiones, sicuti etiam viuunt vi herbæ, aut medicamenti cuiusdam famem, sitimque pellentis: sic legimus *Zacchiā* nutriuisse per clysteres nutritiuos quamdam mulierem, quæ per quatuordecim, pluresque dies non modò quidquam gustauit, sed etiam omnes potuum, ciborumq; odores ità fuit abominata, vt in animi deliquium ex eis incideret;

imò

imò neque aquam inodoram primoribus labris degustare potuit. sic pariter legimus apud *Dalecampium* g Indos in itinere tabaci pilulis vti, quæ per tres dies famem, sitimque ab eorũ corpore pellunt.

g *libr.18, cap. 128.*

Quæ verò dixerunt asserentes huiusmodi ieiunãtes ali vino, vt de illo homine legitur, qui carceribus traditus, vt fame periret, superuixit ad vigesimum diem vino epoto subministrato per fistulam ab amico; sicut etiam de illis, quos refert *Simplicius* h ex Eudemo, qui, cùm diuinũ sacrificium ab Atheniensi populo ageretur, in subterraneo specu conuiuium facientes, ebrij euasere, qui vnà cum seruis quatuor dies dormierunt; deque alijs, quos videre est apud *Cestaum*, i quos solo vino diutiùs vixisse, & nouit, & obseruauit; sicut etiam, quę dixerunt asserentes huiusmodi ieiunantes ali terra, verùm affirmare putamus: cùm certum sit, ex his generari in corpore cruditatum copiam, quæ vim appetendi deprauat, ipsaque est cuius caussa homo abhorret à consuetis alimentis, terram solam, aut calcem expetit, aut comedit, hinc plerũq; hos Cachexia, alijsque morbis laborare cuicũque patet.

h *libr. 4. phys. tex. 91.*

i *lib. 2. de potu in morb. c. 30*

Verùm enim verò etsi dicimus, naturaliter viuentia non posse viuere sinè alimento, non ideò negamus hoc diabolica fraude posse euenire per appositionem alimenti interni; vt de Antonio Vicente impostore refert noster *Antonius Panormita* magni nominis vir, atque om-

nis laudis honore longè maior, & de Anna muliere, *Aeneas Sylvius*, quorum exempla copiosè recitat *Prosper Aquaticus libro de promissionibus, & praedictionibus.*

Neque negamus hoc supernaturaliter, & miraculosè posse euenire, cùm certum, & ex fide sit, quamplures extitisse tùm ex antiquis, tùm ex recentibus Sacrosanctae scripturae, qui quadraginta dies integros nihil cibi, & potus degustarunt, vt *primo Exodi* K dicitur de Moyse, *tertio Regum* l de Helia, & de Domino nostro Iesu Christo nostrae legis, ac fidei diuino authore *Matthaei* 4. de quibus *Sanctus Chrysostomus*, m inquit, Moyses, & Helias sinè cibo fuere substentati, & *Diuus Augustinus*, n Moysem dicimus Diuini sermonis consortio fultum tamdiù non esuriuisse: Iesus autem ex *Sancto Anselmo*, o intùs habebat, quod eum substētabat. Pariter certum est Beatam Mariam Aegyptiacam, Catharinam Senensem, & quamplures alios Sanctitatis gloria insignes tamdiù vitam absque cibo duxisse vi supernaturali adiutos: idem dicendū erit de Religiosissimo viro Hispano ordinis Heremitarum virtutum omniū fulgore conspicuum, qui, vt refert *Zacchias*, ab assumpta Eucharistia viginti dies viuebat sinè cibo. quod itē confirmandum de Heremita, de quo scribit *Krantzius* p per annos viginti sinè corporali cibo victitasse. Pariter inter miracula recenseo ieiunium trium seculorum Monachi illius, qui iucunda suauiter concinente auicula in Bostasij

K cap. 24 vers. 27.
l cap. 14.
m Homil. 13. in Matthaeum.
n lib. 1. de mirabil. sacr. scrip.
o in enarrationibus c. 4. Matt.
p libr. 12. hist. eccles cap. 23.

ele-

eleuatus tricentos vixit annos sinè vllo alimento, vt *Henricus in speculo exemplorũ* refert. ideòq; puto, *Abulensem* assignasse caussam diutini ieiunij esse Ecstasim, qua ieiunantis Anima, quasi à corpore alienata, consueta non obeat munia. Concludendum igitur, impossibile esse viuentia naturaliter viuere sinè vllo alimento, posse tamen supernaturaliter viuere absque illo. Id reliquum esset, vt nonnullæ *Fortunij Liceti* obiectiones diluerentur: verùm, quia *Doctissimus, & eruditissimus Stephanus Rodericus Castrensis in libris suis de alimento, præcipuè sectione tertia.* illis fusè satisfecit; ac etiam quià ex aliquarum suppositionum, quas supra attulimus, vi, aliarumque sententiarum confutatione, & rationibus allatis, facilè resoluuntur, idcircò ne longum faciamus clariorem distinctionẽ inter ieiuniũ naturale, & miraculosum afferamus. Dicimus igitur diutinum ieiunium tunc naturale esse, quandò corpus, etsi non vescitur cibis externis, nutritur tamen internis. miraculosum verò, quandò neque cibis externis, neque internis nutritur. Cognoscitur autem corpus nutriri cibis internis, quandò est phlegmaticum, vel melancholicũ, hebes, debili calore, vel absolutè, vel respectu crudorum humorum, & pituitæ copiæ, & quandò cùm istis conditionibus perseuerat in ieiunio transacta decima quarta die absque virium iactura: istud enim naturaliter sicut alia corpora viuit, nempè per Nutritionem, tunc autem corpus supernaturaliter, & miraculosè dicitur

ieiu-

ieiunare, quãdo cùm sit raræ texturæ, ac facilè transpirabile, sanguineum, aut biliosum, validi caloris, quacunq; cruditate, ac pituita carēs, tamen ad plures dies ieiunans vitam ducit: tūc enim erit dicendum, hoc supernaturaliter viuere, quia non viuit per nutritionem. sic pro miraculoso fuit acceptum ieiunium illud viri Scoti iuuenis, pilisque rubris, & vt videbatur habitus biliosi, qui sub Clemente VII. P M. cū spontè se obtulisset, diebus vndecim in custodia habitus absque cibo perseuerauit, quod referunt *Cardanus*, q & *Garimbertus*; r sic diuinum dicimus esse, ac omnes naturæ limites excedēs quadragenarium ieiunium Christi Domini in Deserti solitudine traductum, quo tempore Iesus fame caruit, sua Diuinitatis virtute vires augente. quare *Diuus Bernardus* s dicit, fuisse ieiunium suauè ad similitudinem ieiunij Moysis, & Heliæ, qui confortati Dei prouidentia nullam sentiebant famem; oportebat quidem Christum virtute diuina fuisse in ieiunio refectum; quandoquidem erat in florentissima ætate, in qua coctiones, & actiones omnes vitales, animales, & naturales excellentiori quodam modo exercentur, habebat ætatem, & temperamentum, cui cruditatibus abundare repugnabat, erat corpore temperatissimo, quo omnibus resistebat caussis, & internis, & externis morbificis inappetentiam generantibus: cùm eius quatuor qualitates primæ collectiuè sumptæ magis resistebant, quàm qualitates corporis

q *de subtilitate*
r *libro 1. problem. 4*
s *Serm. 4. in Quadragesima.*

inte m-

intemperati, in quo sit vna supra cæteras tantùm excellens, & repugnans qualitas ad introductionem suæ contrariæ, propterea ob has corporis dotes non poterat viuere diù sinè cibo, ac proindè omnes miraculosè diù ieiunantes ad miraculum vsque excessit.

Ex dictis igitur manifestè colligitur, quādò ieiunium sit miraculosum, quandò naturale. atque hinc manifestè affirmatur, impossibile esse homines naturaliter viuere diù sinè cibo tùm interno, tùm externo. Non esse tamen impossibile homines aliquandò supernaturaliter, & miraculosè viuere diù sinè cibo, & interno, & externo. Dixi.

An Puerperis, Quibus Lochia Defecerunt, & Adest Alui Fluxus, Competat Sanguinis Missio, & ex Quanam Parte.

DISCEPTAT. SECVNDA.



QVIS Mensium excretionis necessitatem in mulieribus maximam esse tamquàm illibatæ veritatis dictum non credat; N. N.? hanc enim experimentum ostendit, illustrium virorum agnoscit aüctoritas, ratio docet: ec-

quis

quis est, qui non videat hoc maximum, & salutare præsidium ad mulierum incolumitatem non arte, sed natura paratum, ità expedire, quã quòd omninò, ac simpliciter necessarium sit ad mulierum salutem, vitamque contutandã; ea enim ratione certis temporibus, & statis periodis exoneratur natura sanguine illo, qui, & ab hepate tanquàm redundans quid, & superfluum pellitur in truncum venæ cauæ, & è carnibus saturatis post tertiam coctionem excernitur, qui, dùm in muliere supprimitur, nec statis emanat temporibus, incredibile dictum est, quàm varia, & grauissima sua mora, & cunctatione pariat sympthomata, tunc enim non quantitate sola excedens, sed tota qualitate noxium, & infestans fit excrementum; quandoquidem cùm sanguine feruntur ad vterum, vniuersi corporis sentinam, & membrum seruile, noxij humores, quorum permixtione malignã acquirit qualitatem sanguis, qui in calido loco positus in parte decliui ex prauorum succorũ transcursu accedente prohibita difflatione citò putrescit, & vt optima prestabat qualitate, in pessimam abit: optima enim citò viciantur, & in pessima transeunt; sic seminis grauiora sunt, quàm sanguinis suppressi sympthomata; quia purius semen, & magis spirituosum; sic humanum cadauer omnium pessimè olet, quia hominis corpus omnium est temperatissimũ; & apud *Hippocratem* a alimenta quantò sunt meliora, & accommodatiora, si corrumpantur

a *libr. de affection.*

eorum

eorum corruptela deterior est, quàm ciborũ, qui & minùs nutriunt, & deteriores sunt.

Hinc est, quòd Auctores in vnam, eamdemque eant sententiam, decernantque huiusmodi purgationem suppressam, aut deficientem statim esse prouocandam, quod experimento confirmatur ex morbis, qui mulieribus accidunt ob mensium defectum; *si enim* (inquit omnium præceptor *b*) *circà vterum, & locos stabuletur, phlegmona, carcinomata, erysipelata, scyrrbos, parit: si ad superiores partes resiliat, morbi inde nascuntur, qui partis obsessa, & humoris morbifici naturam sequuntur. In hepate Cachexiam, Icterũ, Hydropem excitat; in liene Obstructiones, Scyrrhos; in ventriculo deprauatam Appetentiam, Malaciã, in corde Palmon, Syncopen; in Pulmonibus Vlcera, Tabem; in cerebro Epilepsiam, Melancholiam, &c.* ideòque aptè, & conuenienter eòs dixisse existimo, qui menses florum nomine appellarunt: quemadmodum enim arborum alacritas, & vigor ex florum suo tempore erumpentium vbertate cognoscitur, ità & mulierum fœcunditas, ac salus ex sanguinis istius legitima effusione rectè colligitur.

b *lib. 1. de morb. mul.*

Verùm si menstrua tantùm afferunt vtilitatis; ità vt mulieres, si optima valetudine frui velint, eorum purgatione indigeant, quantò magis lochiorum emissio puerperarum corpora iuuabit? infinita quidem enixis affert commoda; nam si non vulgare habetur iuuamen in mulieribus ex menstruorum excretione,

eximium habebitur in puerperis ex lochiorũ purgatione, quæ qualitate peccant, & quantitate longè magis quàm menstrua. vndè si mẽsium euacuatione ad mulierum saluť est opus, lochiorum purgatione ad vitæ conseruationẽ puerperæ apprimè indigent: ideòque *Hippocrates* [c] lochiorum exponens necessitatem, habet. *oportet itaque purgationem reddi in toto puerperij tempore, & foràs exire, ac respondere pro dierum ratione, at proportione*, & paulò post afferens damna, quæ oriri possunt ex lochiorum defectu, inquit *si enim non purgetur mulier à purgationibus partus, morbus magnus ipsam corripiet, & periculum vitæ incurret, nisi ciò curetur, & quis conuenientem ipsi purgationem inducat*, quod confirmat *Auicenna* [d] illis verbis *oportet quandò parit, vt studium sit in prouocatione mẽstruorum retentorum*. idem etiam sentijt *Theodorus Zuingerus*, dùm textum citatum *Hippocratis* commentans, habet, purgationem hanc puerperij summopere necessariam ex instituto naturæ esse, & directè ostendit ex purgatione, quæ accidit, & obliquè confirmat, quod ea suppressa necesse sit puerperam extremè periclitari, nisi citò subueniatur. quibus ex locis lochiorum purgationis omnimodam necessitatem colligimus: vndè benè *Galenus* [e] affirmat lochiorum suppressionem in extremum vitæ discrimen puerperas conijcere, quod nemo audebit negare, si lochiorum perscrutabitur naturam: aduertet enim lochia esse sanguinem illum

c *libr. de nat. pueri.*

d *li. 3. fen. 21. tract. 2. cap. 3.*

e *lib. 1. epid. sect. 3. par. 21.*

illum, qui ab vtero, tamquàm ex sentina, post partum exhauritur, quique ex mora, & retentione facta in calido loco, in parte decliui, in quam excrementa affatim decurrunt, ex horũ transcursu (vt menstruus retentus) accedente prohibita transpiratione, citò putrescit, & vitiatur; qua ratione etiam sentiet ex eorum retentione quamplurimos oriri morbos, quamplurima sequi sympthomata, inter quæ eximiũ locum obtinet alui fluxus, qui inter ea, quæ immoderatè excreta sunt toto genere præter naturam numeratur.

Eximium quidem, & curatu difficillimum est sympthoma: cùm requirat curationem ex toto contrariam curationi lochiorum suppressionis: hæc enim indicat sanguinis missionem illud verò prohibet; hæc per sanguinis missionem curatur, illud augetur: sanguinis enim missio in lochiorum defectu in vita Puerperas confirmat, Alui verò fluor in mortem præcipites agit. Videte igitur, N, si non est eximium sympthoma, & curatu difficillimum: si ingentibus periculis Puerperas non exponat; si Medicum pro eius curatione maximè non torqueat; si me denique de his contrarijs, & implicitis sympthomatibus disceptantem in varias sententias non distrahat. quandoquidem cùm ex *Galeno* lochiorum suppressio inter ea numeretur sympthomata, quæ sunt immoderatè retenta toto genere præter naturam, ad huius sympthomatis abolitionem debet Medicus omni

conatu incumbere; hæc autem abolitio habetur maximè per sanguinis missionem: vndè videmus *Hippocratem* teste *Galeno* f Stymargi famulæ, cui cùm peperit, ne sanguis quidem prodijt, venam ex talo secasse, idemque testatur obseruasse in cunctis hoc sympthomate affectis cùm ibidem asserat *proindè cùm retentio euacuationem, situs verò vteri locum, per quem euacuatio instituenda est, illi indicaret, venam talo proximam incidat, talemque Hippocrates se se in cunctis præstitit*. quæ doctrina confirmatur ab *Auicenna* g ità loquente *quandò parit, aut abortitur, & timetur, quod sanguis eius minoretur, aut apparet illud, tùnc rectius est, vt solicitudo sit in prouocatione sanguinis eius*. & concludit in fine, *sin autem illud non excusat aliquid, tùnc necessaria est phlebotomia Saphenæ &c.* quibus ex verbis, quàm sit sanguinis missio necessaria in lochiorum defectu apertè colligitur.

f *lib. de venæ sect. ad uers. Erasistrat. c. 5 & libr. de rig. c. 8.*

g *li. 3. fen. 21. tract. 3. c. 35.*

Prohibet autem phlebotomiam in casu proposito alui fluxus, tùm quia aluifluorem prouocat, vt testatur *Galenus* h afferens liberum febre sinocho sinè putredine laborantem, cui misso sanguine lubricauit aluus, & confirmat i illis verbis: *nàm, & in ardentissimis febribus, si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur: plurimis etiàm aluus citatur, & sudores emanant*. tùm quia vt idemmet habet k *si fuerit febris cùm profluuio ventris non oportet aliã vacuationem tentare, etiàm si non sufficiat pro mul*

h *libr. 9. meth. c. 4.*

i *li. 1. aph. 23. in cõn*

K *lib. 1. ad Glau. c. 14 §. sed neq,*

titudinis ratione: quicumque enim his plùs adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula duxerunt. quod clariùs 4. *Acutor:* [l] dùm ait *fluente aluo sanguinem non detrahes, nàm si post detractionem perseueret fluxus, virtutem prosternes.* hinc (puto dixisse) *Auicennā,* [m] ꝙ siquis bis aut ter assellauerit liberat à phlebotomia, quæ quidem dicta, nostram (vt liquet) reddunt difficilem curationem.

l *t.* 116.

m *libr.* 1. *fen.* 4. *capit.* 20.

Pro cuius rei definitione dicimus; his non obstantibus, Puerperis, quibus lochia sunt retenta, & adest alui fluxus, competere venæ sectionem. Quod quidem, vt probemus, rationes, auctoritates, experimenta non desideramus: etenim in hoc casu debemus considerare id, quod præcipit *Galenus* considerandum esse de morbis implicitis, ac contrarijs. docet enim [n] quandò adsunt affectus contrarij complicati, tria esse perscrutanda. primò, quinàm horū morborum habeat rationem sine qua non, cuiusmodi sunt impedimenta, seù morbi, qui habent rationem impedimenti, qui nisi auferantur, frustrà exercebitur curatio, imò impossibile erit, vt quidquam benè succedat. secundò, quinam illorum habeat rationem caussæ efficientis, & principalis respectu alterius: caussa enim efficiens summopere spectanda est ad cu rationem, cùm semper illam variet. tertiò, quinam istorum habeat rationem vrgentis. Quibus consideratis vult primò ad vrgentem, alijs

n *libr.* 3. *meth.* 9. *&* *lib.* 7. *eiusdem* 12

non

non omninò neglectis, incumbendum, & ab eo affectu præter naturam inchoandam esse curationem, qui magis vrget. secundò ad caussam efficientem, & principalem præcipuè attendendum, & ab ea exordiendam esse curationē quod exemplo vlceris inflammationi admixto, & immodico sanguinis profluuio exemplificauit. Quod si plures sint caussæ, ab ea, quę magis lædit, curationem vult inchoandam, tamquàm à principaliori.

Quot autem modis vrgere possit aliquis affectus, & vndè est, vt habeat tantam vim, vt vniuersam ferè methodum curatiuam videatur subuertere, & Medicos cogat, caussa, ac morbo ferè neglectis, ad illum priùs incumbere, apertè ostendit idemmet *Galenus* o docens vrgentiam morbi à tribus veluti fontibus desumi primò ab eius magnitudine, secundò à læsæ actionis pręstantia, tertiò à facultatis vniuersũ corpus regentis dignitate. Ab eius magnitudine. nàm præsentibus in corpore pluribus morbis, quorum vnus sit altero validior, cui dubiũ est validiori, ex quo maius imminet vitæ periculum, esse priùs occurrendum? à læsæ actionis præstantia: vbi etenim æquè magni sint morbi aut exigui, actionis læsæ præstantiam respicere debemus, & illi priùs, & ātè omnia resistere, à quo maior lædetur actio; sic si duo fuerint morbi æquales quorum alter lædat actiones vitales, alter animales, ad illum priùs incumbē dum, tamquàm vrgentiorem, qui actionem vita-

o *libr. 7. meth. 12.*

vitalem lædit, vt potè ad vitam maximè necessariam. A dignitate demùm facultatis vniuersū corpus regentis, puta facultatis naturalis, nàm cùm hæc viribus seruandis sit summoperè necessaria, vt facultas naturalis ventriculi, hepatis &c. proindè maximopere vrget, deque ea est maxima habenda cura.

His ità positis, deueniamus, si lubet, ad propositum casum, in quo videbimus haberi, & morbos contrarios implicitos, & tres assignatas caussas, quarum ratio vrgentis, continetur in lochiorum suppressione, efficientis, in actione læsa ipsius vteri, sinè qua non, in alui fluxu. & quidem quod lochiorum suppressio sit caussa vrgens, probatur ex supra enumeratis conditionibus ad vrgentiam ex *Galeno* requisitis: quandoquidem hoc sympthoma est reliquis assignatis affectibus præter naturam validius; cùm maiores morbos, imò mortem Puerperis inducat, vt videre est apud *Hippocratem*, p quæ non caussant reliqui affectus.

p *lib. 1. de mor. mul.*

Secundò hoc sympthoma omnes lædit actiones, & vitales, & animales, & naturales: sanguis etenim ille impurus, & fæculentus retentus partes petit Principes, perturbatque per venas venosum genus, & hepar; per arterias, Cor; per neruos, cerebrum; vndè febres, & inflammationes internæ, & cephalalgiæ, & conuulsiones, & similia oriuntur, vt citatus noster antesignanus habet, & reliqui omnes qui de hoc sympthomate agunt: tanta est enim vteri cùm principalio-

lioribus partibus correspondentia, ac sympathia, vt mulieres ex vteri vitijs in Principum partium affectiones transeant.

Lædit denique facultatem naturalem, cùm eius impediat operationem, commouendo cō coctionem, vastando nutritionem.

Quod actio læsa ipsius vteri sit caussa primaria efficiens hoc sympthoma est certum. Quod verò alui fluxus sit caussa sine qua non, nemini dubium esse video: etenim numquàm remouetur, nisi euacuatis lochijs, cùm procedat ex cōpressione, & irritamento naturæ in vtero conātis retenta lochia expellere, ac eijcere, quare commouetur intestinum ob contiguitatem, quam cùm vtero habet. Si igitùr in morbis contrarijs complicatis est primò incumbendum ad id, quod magis vrget altero non neglecto, vt ex *Galeni* doctrina probauimus, & in hac morborum contrariorum complicatione magis vrget lochiorum suppressio, quàm alui fluxus; quis ibit inficias priùs succurrendum esse lochiorum suppressioni, alui fluxu non omninò neglecto? lochiorum suppressio, vt superius probauimus, præcipuè per phlebotomiam curatur, igitur in hoc casu, in quo cùm lochiorum defectu est complicatus alui fluor, pro horum morborum curatione debet admitti phlebotomia, quamuis non ità effusa, sed per Epicrasim cùm alui fluxus non sit omninò contemnēdus.

Neque aliæ desunt rationes, quibus nostram confirmare poterimus sententiam, N, quando

qui-

quidem alui fluorem non semper auersatur venę sectio: distingunt enim de alui fluxu auctores, afferuntque alium esse criticum, alium sympthomaticum. Criticus est, quandò natura rectè operans prauos emittit, & peccantes humores, ex quorum emissione sequitur in corpore conferentia, & tolerantia. Sympthomaticus verò est, quandò natura non per se operans, sed aliquo stimulata irritamento, expurgat humores, qui, aut quia non sunt concocti, aut quia non sunt praui, & peccantes, complurima caussant sympthomata in corpore expurgato, vndè ex tali euacuatione nulla prouenit vtilitas, imò prauæ dispositiones, vt docet *Galenus. q* Quibus positis aiunt, in alui fluxu critico non competere venæ sectionem, deque eo loqui Medicinæ Coryphæos, cùm in alui fluore negant phlebotomiam. è contra in euacuatione sympthomatica illam admittunt, ad hoc vt cohibeatur alui fluxus, ac reuellantur redundantes succi, qui ad ventrem fluunt. ità sentiũt ferè recentiores omnes, quorum primus fuit *Altimarus, r* qui citat *Hippocratē, s* ità dictantē *reuellere, si quo non oportet, vergant: et si ex toto cō fluunt succi media vena secanda erit; si ex iocinore interna dextri cubiti; si ex liene, sinistra; si ex capite externa cubiti vena incidatur.* Altimarum sunt sequuti *Eustachius Rudius lib. 2. cap. 31., Horatius Augenius lib. 3. de curandi rat: per sanguinis missionem cap. 18., & 2. epist. & consult. med. lib. 10. epist. 3., Alexander Massarias lib. 3. Pract. cap.*

q lib. 4. aph. 2. in cōmen.

r in arte med. c. 73.

s lib. 6. de morb. epidem. sec. 2. t. 17.

22., *Zaccutus Lusitanus lib. 2. de Med. Princ. hist. hist.* 81. *quæst.* 45., qui citat pro sua sententia *Hippocratem* ab *Altimaro* relatum, & *Galenum lib. de reuulsione cap.* 2. vbi docet, in fluxione ad ventrem ad manus reuellere. ex reuellentibus autem præsidijs præcipua est venæ sectio. ibiq; vult phlebotomiam aluum potiùs adstringere quàm dissoluere, iuxtà illud *Auicennæ* t (*amplius phlebotomia propterea quod ad aduersum trahit, naturam secundùm plurimum retinet.* vndè legit cùm *Iacobo Mantino* aluum valdè adstringit. eãdem protulit sententiam *lib vlt. praxis hist. nu.* 7. *pag.* 620., *Dilectus Lusitanus cap.* 11. *art.* 4. *pag.* 155., qui citat *Botallum à pagina quinquagesima prima per sequentia* multas referentem historias in quibus ex varijs alui fluxibus conualuere cõ plurimi ob sanguinis detractionem, & alij innumeri *Auctores*, quos per otium potestis consulere, qui omnes asserunt alui fluorem sympthomaticum venæ sectione curari. si igitur in casu proposito alui fluxus erit sympthomaticus, venę sectione curabitur.

t *fen. 4. li. 1. cap.* 20.

Et quidem est sympthomaticus, cùm ex hac euacuatione nulla sequatur conferentia, & tolerantia in Puerperis, imò vires prosternantur cùm maximo vitę discrimine, quod clarè ostendit *Martinus Akakia* u dùm ità loquitur *iam rigor, & alui perturbatio, scilicet cùm hypochondriorum dolores suppressionem lochiorum sequuntur; sinistri ominis sunt in Coacis, nempè quia perseuerante dolore Hypocondrij, neque rigor, neque alui per-*

u *lib. 2. de morb. mul. cap.* 10.

tur-

turbatio caussam morbi soluũt: quin & quibus Puerperis ex purgamentorum retentione circà ventriculum; & tenue intestinum differentes dolores aluos soluunt cùm iactatione, ijs circà crisim die critico cephalalgia fiunt cataphorica, & præ impotentia exsudant, & perfrigerantur extremis partibus: quod si recidiua fiunt post remissionem horum symptomatum hæc celeriter interimũt, nàm ex forti dolore neruosarum partium, vt ventriculi, & intestinorum fit ad easdem colliquationum confluxus, vndè lubricatur aluus. quibus ex verbis rationabiliter deducitur, quod cùm alui fluxus in casu proposito non soluat caussam morbi, imò potiùs illam augeat, non possit esse criticus, sed sympthomaticus; ergò ad cohibendum hunc fluxum debemus vti venę sectione; Itàque Puerperis, quibus lochia sunt retenta, & adest alui fluor, competit venæ sectio, non solùm ob lochiorum suppressionis vrgentiam, verùm etiam ob alui fluxum sympthomaticum. Quod illustrium virorum auctoritate confirmatur, & præcipuè *Ludouici Mercati*, qui x hæc protulit *ad eorum expurgationem, veniendum esse contulit vrgentissima morbi natura: in qua non dubitarem antè Rhabarbari vsum, ex talo sanguinem mittere viribus non renuentibus*. qua etiam in sententia fuit *Valerius Martinus*, y qui præter rationes adductas hoc se expertum fuisse testatur in multis, numeratqne octo Puerperas, quas ità laborantes sanguinis missione feliciter curauit, nec vllam hoc modo curatam mortuam vidisse, fatetur.

x *lib.4. de mul. affec. cap. 11.*

y *lib.4. de morb. magni. sang. cap. vlt.*

Confirmari etiam potest hæc opinio auctoritate *Zaccuti*, z qui Dissenteriam à suppressis mensibus ortam saphænæ sectione curauit, ad quam curationem non sua, sed *Moxij*, a sententia ducitur.

z *libro 2. prax. admirab. obs. 19.*

a *lib. 1. de morb. mul. 36. & 37.*

Nec paruifaciendam esse censeo auctoritatem *Marci Antonij Alaymi* Doctissimi, exactissimique viri, Primi, iterùmque nouæ huiusce Nobilis, & Salutaris Panormitanæ Academiæ Principis, inter Medicos omnes nemini secundi, ac mei Præceptoris, qui de hac re, non modò locupletissimos veritatis testes multa affert exempla, ne dicam, infinita, sed fusè doctissimis verbis loquitur binis in locis eorum voluminũ quæ propè diem lucem aspicient, quod faxit Deus quàm primùm fit.

Id ipsum ego in diutina ægrotantium curatione pluries sum expertus, & licet Iunior, non pauca afferre possem exempla: at ne tædio sim Auditoribus, illud tantùm afferam, quod superiori anno Puerperæ cuidam accidit, quæ cùm grauissimè laboraret alui profluuio ob lochiorum retentionem, statim ac sanguinis detractionem ex saphæna præscripsi, Diarrhea cessauit, lochia erupere, ipsa conualuit.

Hinc infero, hanc venæ sectionem cum alui profluuio non esse contrariam præcepto *Galeni 4. Acutorum*, cùm potiùs cohibeat alui fluxũ, quàm prouocet; ideò enim à *Galeno* interdicitur, quià, si post detractionem perseuerat fluxus, virtutem prosternit; cùm igitur non perseue-

seueret, sed potiùs cohibeatur, vt experientia patet, debemus affirmare, illi non aduersari.

Ex dictis igitur luce meridiana clariùs patet, conuenire pro horum implicitorum morborum curatione phlebotomiam. Quænam autē vena erit secāda, ex enarratis apertè colligitur esse saphenam; ea vsus est *Hippocrates* in Stymargi famula citata; [b] & in omnibus huiusmodi affectionibus, vt cùm *Galeno* [c] superiùs diximus *Galenus* præcipuè in lib. ferè toto de venæ sectione aduersùs Erasistratum, lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 11. 18. & 9. *meth.* 15.; *Auicenna* 24. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 36. omnesque *Auctores*, qui de suppressorum menstruorum, & lochiorum curatione per venæ sectionem loquuntur. ducuntur enim *Hippocratis* oraculo. [d] Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia, & tolerantia. vndè præcipit (puto) *Galenus* non sinè valida ratione [e] *plenitudines à retentis mensibus natas, ex cruribus fore omninò vacuandas, siuè venam incidere, siuè scarificare oportet: secta enim in cubito vena mulierum reuellere purgationes assolēt.* at in infernis partibus scissę venæ non solū vacuant, sed etiam menses, ac lochia prouocant. Quis igitur hæc rationum momenta iudicij lance perpendens, exemplorum veritatem considerans, ac Doctorum auctoritatem (quæ quāta sit videtis) animo voluens, hanc curationem rationalem, ac apprimè consentaneā sine vlla dubitatione non affirmabit? Ergò hæc vt pro-

nis

b *libr.* 2. *epidem. sect. ion.* 4. *in fine.*

c *libro de venæ sec. aduers. Erasistrat.*

d *libro* 1. *aph.* 21.

e *libro de sang. miss. c.* 11. *sex.* 16

nis auribus accepistis, N, animo fouete, ac ve
stra auctoritate confirmare velitis. Dixi.

Sternutatio an Morbis Omnibus Prosit.

DISCEPTAT. TERTIA.



OLENDVM vehementer censeo, & grauiter dolendum, cùm in hac misera rerum omnium peruersita te, ad eam tandèm miseriam collap sam esse venerabilem illam, ac pene diuinam Medicinę scientiam agnosco; vt compitatim omnes facili negotio, nulla identi dem donati, quàm liberi Patris laurea, Medicos se esse autumant, & tamquàm cùm Æsculapio ouo prognati eodem, vulneribus, ac mor bis omnibus rectam prescribunt curationis me thodum, & ea proponunt remedia, à quibus recedere, criminosum omninò esse ducunt. *Vn* dè factum memini, quod cùm omnium leporũ Scurra, Gonnella dictus, à Ferrariæ Duce inter rogaretur, quęnam res factu esset facilior, ad quàm plures incumberent; Respondit Gonnel la, eam esse Medicinam, & eo, quo erat ad sales ingenij acumine, faciem, & collum fascijs, & vn guentis circumduxit, obliniuit. Quem cùm ità incedentem, lęto nimirùm gradu, demissis ocu lis, & tamquàm grauissimo dolore affectum,

vide-

viderent, de eius morbo omnes interrogabãt: alius aliud remedium, vnusquisque pro sua arrogantia aliquid illi salutare proponebat. Ipse tandèm ità afflictus Ducem adijt ridiculus homo, qui res vbi collimaret non considerans, Gonnellam etiam interrogauit, quomodò se haberet. ægrè respondit, & omnes, quibus premebatur, dolores enarrauit. Dux etiam, Medicum se esse putans, remedium Gonnellam edocuit. recessit tamquã Ducis remedium dolori applicaturus, sed Elenchum omnium, qui remedia illum edocuerunt, & remediorum scripsit, primumque omnium Ducis nomen posuit. Vicit, præmium tulit. quam sanè ridiculam historiam eò adduxi hic, vt nimirùm pateat, existimare omnes, se Medicinam callere. vndè *Rodulphus Syluestrius* in *epistola* [a] ad *Gregorium XIII. P. M. sed est hoc tempore maximè dolendum*, inquit, *quod & suam dignitatem non retineat, nequissimorum quorumdam hominum vitio, qui omnibus præsidijs Medico dignis destituti, nulla Mathematicarum scientiarum notitia, nulla naturalium rerum cognitione instructi, improbitate solùm, ac temeritate armati, artem nobilissimam, tamquã eius veri Professores non via, ac ratione, sed temerè, ac casu exercere non dubitant; quiuis enim Chirurgus, vel imperitus Pharmacopola, vel Tonsor ignarus se posse Medicinam facere putat, & audet, non paruo Mortalium detrimento*, & *Ludouicus Serranus* D. Medicus Lugdunensis [b] *quod Gryllus*, ait, *apud Plutarchum de Ægyptijs effatur, nos iustiùs,*

&

a *Hieron. Card. libr. de sanitat. tuenda.*

b *in prin. præfat. ad lector. operis Dunc. Scoti.*

& veriùs de omnibus,& singulis Europæ nationibus pronuntiare possumus,apud quas tot fermè Medicos videre licet,quot homines: Ità vt iure dubitetur hodiè (etiam anno graui existente) plures ne sint in rerum natura laborantes, an Medici. Sed quàm infeliciter multi diuinam nostram artem tractent,deturpent,& dilacerent,tuum,& Doctorum omnium est iudicium. Desinat ergò mirari aliquis cùm aliquandò aliquem ægrotantem sternutare sentiunt, vel mulierculæ, & aniculæ omnes, quæ præter ad focum fabulari, nihil sciunt, optimã spem salutis concipiunt,illum iam è lecto prodire de necesse affirmãt.cui quidem errori ob sæculorum corruptelam illapso,vt occurrere possimus, hodierna luce de Sternutatione Disceptationem cõstitui,vt,an vniuersaliter morbis omnibus prosit, omnibus liqueat.

Est Sternutatio motus facultatis animalis à caussa præter naturam commotæ, in quo flatuosæ cuiusdam substantię cõfertim per nares cùm spiritu fit expulsio,quam definiens *Aristoteles* c ait esse vniuersi flatus ex naribus eruptionem.Est enim Sternutatio instituta à natura ad propellendam caussam molestiæ,quæ percipitur in ventriculis anterioribus cerebri,vndecumque molestia illa procedat: seù ex naribus, seù palato, seù capite ipso, eo modo quo tussis ad eijciendam caussam vexantem pulmonem conducit: quemadmodùm enim per tussim natura ea,quæ pectori,& gutturi molesta sunt eijcit;ità in sternutatione, quæ naribus molesta sunt

c *lib.1.de hist.anim.* 11.

ſunt expelluntur. vtręque etiam conueniunt in hoc,quod priùs extenduntur cerebri ventriculi ante ſternutationem, pulmo antè tuſſim. Conueniunt vlteriùs,quod in vtraq; membra aerem ad ſe trahunt:vndè nullum ex his fit ſymptomatibus niſi inſpiratione antecedēte. rurſùs conueniunt,quia in vtriſque poſt aeris attractionem membrum celeriter, ac vehementer conſtringitur. Conueniunt denique quia ex ea contractione aer, & quidquid intermedium eſt eijcitur per canalem cùm ſono. Diſſident è conuerſo,quia in ſternutatione aer trahitur dupliciter ad cerebrum, exſteriùs nimirùm ab ambiente per nares, intùs per palatum ex pulmone;in tuſſi verò ex ſola aſpera arteria. Diſſident etiàm eodem modo in extrudendo;quandoquidem per tuſſim ſolummodò per aſperā arteriam ſpiritus effertur,& materia;in ſternutatione verò & per palatum,& per nares,quā-quàm multa,quæ in oris partibus ſunt ratione vicini motus per eam partem quoque impetu pellat, quod cōtingit ex eo,quod qui defertur per palatum minori cùm impetu exit, quia locus apertior eſt,nec detinetur,at per nares eliditur vehementer ob anguſtiam meatuum, vndè etiàm ingens ille ſonus exauditur. Diſſident etiam,quia in ſternutatione nares concutiūtur maximè,pectus valdè parùm; in tuſſi verò pectus, nares autem parùm,aut nihil. Diſſident denique quia ſternutatio vehementior eſt,quàm tuſſis; cùm ad ſternutationē, & pectoris motio requiratur, & membranarum cerebri, quod

teneriùs est,&compactum magis,ac quieti magis assuetum quàm sit pulmo: vndè etiam sternutatio parua dicitur ab *Auicenna* [d] Epilepsia. verùm quia tussis diù perseuerare magna solet, vt multoties vasa frangantur,ideò periculosiorem tussim esse multi putant sternutatione:sed si homines tamdiù,& perseuerante eodem impetu sternutarent,quo tussiūt,omnes perirent illicò,rupto cerebro; ideòque prouida, & sagacissima natura constituit, vt non quemadmodùm in tussi,idem vigor perseuerare in sternutatione posset, sed secunda sternutatio prima, tertia secūda sit minùs cōcitata. hinc est,quod veram existimem historiam à *Carolo Sigonio* [e] allatam, qua narrat anno quingentesimo nonagesimo,quo Christianæ Reipublicæ moderabatur Gregorius re, quàm cognomento maior,fuisse pestem, in qua cùm breui momento sępiùs sternutassent, statim concidebant. etsi negem consuetudinem àGregoriani temporis pestilentia natam, vt sternuentibus soleamus Dei auxilium imprecari. Arbitror enim multo antè fuisse morem sternutantem salutis ominatione prosequi, cùm multis antè Gregorium sæculis fuisse compertum habeam.

Possem pro huius rei confirmatione afferre *L. Apulei* auctoritatem, qui trecentis nō minùs annis antè Gregorium scripsit, qui [f] facinus commemorat sternutamento detectum. possem hic afferre *Athenaum* [g] *Apulei* æqualem, qui humanum caput sacrum veteribus fuisse osten-

d lib. 3. fē. 5. tract. 2. cap. 3.

e lib. 1. hist. de Reg. I. t.

f in Metamaph. lib. 9.

g lib. 2. c. 15.

ostensurus,id probat ex sternutamento, quod homines venerari,atque adorare sint soliti.possem hic afferre *Petroniũ Arbitrum*, qui Tiberio Principe vixit, qui in Satyrico ludens puerum sternuentem affert salutatum. quas quidem auctoritates, etsi quinque sæculis antè Gregoriũ salutem sternuẽtibus imploratã probent,quia tamẽ vltrà mea procedit Oratio, omitto. sicut etiam omitto id, quod possem dicere,quod nõ modò tempore Tiberij Imperatoris iniquissimi hominis, qui vt ait *Plinius*, *h* etsi religiosis hisce officijs minimè capiebatur,tamen dùm vehebatur curru per Vrbem,sternuenti honorem habebat ipse,sibique ab alijs exigebat.imò iussit quoslibet hoc ergà Imperatores etiàm in lectica existentes facere; verùm etiam tempore *Aristotelis*; *i* qui dũ naturæ caussas in problematum quæstionibus inuestigat,*meritò*,ait, *homines venerari sternutamentum, ac benè sternuẽtibus augurari*,eaque super re popularitèr inquirit multa,sapienterque definit. Et solùm ad id probandum auctoritate ducor *Homeri*, qui *k* classicum, atq; inter omnes antesignanum describens Procli Nasum, eumdem sternuentem implorandum esse sibi Deorum opem non valere, quia,videlicet, ob nasi magnitudinem salutatio illa nonnisi aliquantò post tẽpore perueniret,ità vt iam ampliùs ope Iouis non esset opus. vndè sic cecinit.

Non potis est Procul digitis emungere nasum,
Namque est pro Nasi mole pusilla mãnus.

h *libr. 20. cap. 2.*

i *sect. 33. probl. 7. et 9.*

K *lib. Flo.*

Nec vocat ille Iouem sternutans: quippè nec audit
Sternutamentum, tàm procùl aure sonat.

multò igitùr antè Gregorianum imperiũ contrà Sigonij placitum, mos salutis sternuentibus implorandæ emanauit.

Vultis aperiam, N, caussam, cur sternuentes salutentur? dicam, & vt spero, assequar oratione, quod mente comprehensum habeo, si vestrorum tamen humanitas, me aliquantisper à meo instituto recedere, permittet. Quatuor in promptu mihi veniunt in mentem caussæ, ad quas huiusmodi consuetudinem reuocare possimus. Medicinalis, Auguralis, Poetica, Religiosa. Religiosa quidem, quandoquidem sternutamentum Religiosi, & sacri aliquid habere crediderunt antiqui, & communicata illis videbatur cùm sternutamento sanctitas, cùm è capite procedat, hoc est, è parte partium humani corporis principe, imò & Sacrosancta, vt veteribus habita est, siuè quod in capite omnium sensuũ collocata sit sedes, siue quod Pallas è Iouis nata cerebro diceretur, siue demùm quod officina sapientiæ appellaretur caput, quam caussã assignauit in *problematis Aristoteles* [1] illis verbis *cur sternutamentum pro numine habetur, nõ tussis? an quia de capite membrorum maximè omnium diuino, ex quo prouenit cogitatio, suam ducit originẽ?* Ea igitur salutatio, quam sternuenti impertimur, non est salutis imploratio, sed veneratio est, atque honoris significatio. hinc factum, puto, quod Æthiopes, qui Principem adorare erãt soliti,

1 *lib. 1. sectio 33. probl. 7.*

soliti, Monomotapæo Imperatore sternuente, qui aderant, verba, quibus benè, prosperèq; precari consueuimus, tanto clamore proferebant, vt facilè, qui in Aula agebant, proximisque cubiculis exaudirent, ac faustas consalutationes elata, & ipsi voce congeminabant: quibus auditis sequebantur illicò in eumdem modum, qui versabantur in foro, ac domibus adiacentibus; ità vt alijs ea ratione alijs inuitantibus, & precationum verba præeuntibus, ingenti acclamantium veneratione tota simul Vrbe sternutamentum Principis celebrabatur.

Altera caussa est Poetica; *Propertius* etenim dolens se esse amatæ Cinthiæ captiuũ, affirmat in eius natiuitate amorem sternuisse, aridumq; illi omen præsagire, sic cecinit *m* — m *libr. 2. eleg. 3.*

Nùm tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aridus argutum sternuit omen amor?

& *Homerus*; qui disciplinas, artesq; ac ritus propemodùm omnes edocuit antiquitatem, vt scribit in *Homero Plutarchus*, existimauit, è sternutamento presentionem elici secundam, & faustam inimicorũ nimirùm insidias breui detegendas, ac retorquendas in earum auctores; quod docuit versibus illis *n* — n *in Odyss sea lib. 17.*

At si Dulichius, quo non vsquàm fuit alter,
Fortior in Danais, qualis bellator Vlysses,
Vtilis, & diras, & clades pellere tectis,
Iam venturus erit contingens dulcia rura,
Prole sua iunctus patrÿs fortissimus armis
Vlciscetur, ait. Cùm sternutauit in arce.

Tele-

Telemacus clarè; risit Regina salutans
Omen Penelope, subitoque hęc verba subulco
Addit, Ades Pastor, celera reuocetur vt hospes
Quamprimùm, annè vides ad singula dicta sonorè
Sternutasse mihi natum? Ergo Turba Procorum
Cæsa omnis, sed non incerta morte iacebit.

o *lib. 1. de anima. c. 8*

quod confirmans *Magnus Albertus* o scriptum reliquit, huiusmodi respirationes apud homines commentitia, & vana mirantes duarum rerum signum esse: alterum argumentum afferre, veritatemque conciliare dicto, cui sternutamentum interueniat: alterũ, eum qui sternuit, (præsertim si sternutamentum repetat) breui liberandum esse ab ijs, quibus premi videbatur angustijs inimicorum metu. hinc apud Veteres orta est consuetudo, vt sternuenti propitios, præsentesque Deos implorarent: nempè vt si quid superesset periculi, quod eius capiti imminere, ab hostili fraude, & precatione penitùs auerteretur.

p *lib. de. hist. anim.*
q *lib. 2. de diuinat.*
r *libr. 28. cap. 13.*

Venio tertiò ad Auguralem caussam, quæ non multùm differt ab anteriori, & certè sternutationem inter auguralia fuisse signa *Aristoteles*, p & *Tullius* q narrant, etsi omen anceps, ac medium habitum esse apud veteres animaduertam, neque ex augurali disciplina patuisse, prosperè ne aliquid, an infaustè portenderet, dùm considero illos, qui, auctore *Plinio*, r omnibus negotijs, horisque interesse credebãt Deos, instituisse, sternuente aliquo conuiuarũ, dùm fercula remouebantur, aut mensa tolleba-

tur,

tur, inter dira haberi, atque vt portentosum hoc exitium auerteretur, mensam iterùm reuocari deberi, epularumque aliquid regustare, ne conuiuium tàm diro omine desitum videretur. hinc est, quod veteres, vt refert *D. August.* f si manè surgentes è lecto sternuebant, vt infortunium eo die fortè sequuturum euitarent, & auspicatiùs surgerẽt, statim lectum repetebãt. At apud Græcos non ità res erat, dùm enim Xenophon in concilio Græcorum verba faceret, sternuit ex aduerso militum vnus, statimq; felix omen omnes accepere, Ducemque Xenophontem auspicatò crearunt. Verùm in hoc nemo diffidebat, matutinam nimirùm sternutationem infortunium sequuturum in die significare; meridianam verò rerum omnium felicissimum euentum, cuius inuestigat caussã in problematũ quæstionibus *Aristoteles*, t quin etiàm exaudire ad dexteram partem sternuentem quempiam felix omen denotare, triste ad læuam. sic *Eustathius* obseruat Iliados septimo, sic animaduertit *interpres Theocriti* in *Idyllion*, cui titulus *Talysia*; sic Temistocli ante naualem pugnam in prætorio sacrificanti, *clara* (inquit *Plutarchus* in *vita*) *ex hostijs flamma repente fluxit, & bonum omen sternutamento à dextera parte datum est.* quarè cùm veteres plùs nimio superstitionibus obnoxij, & ad bonum omen adiuuãdum, & ad auertendam, si qua immineret, capiti cladem, Deorum auxilium sibi, alijsque sternuentibus implorarunt. Nos verò Christiani

f *lib. 1. de doct. chris.*

t *sect. 13. prob. 11.*

non

non augurij,sed officij caussa,neque ad omen auertendum,sed ad salutem implorandam con suetudinem illam accepimus.

Superest medicinalis caussa: est enim sternutatio salutaris expiratio, vt meritò ab *Aristotele* u inditium dicatur valetudinis;hinc fit,quod alicubi non *salue* sternuentibus redditur, sed *(prosit)*imò & apud Græcos, non salus exoptabatur sternuentibus, sed Deus Sotera colebatur, quasi ob rem, quę benè,ac salubriter euenisset,gratiam saluti haberent,eaque veneratione referrent. Verùm quia non semper valetudinem autumat, sed quãdoq; humorem coaceruatũ in capite denotat,meritò nos sternuẽti, & gratulamur, ꝙ aliquid ei salubriter aduenerit, & salutem precamur, ꝙ salubritatis adhùc aliquid desit;vtrumq; autẽ cõiungimus,dũ eũ saluere humaniter, officiosèque iubemus.

u *sect. 33 probl. 9.*

Vos verò, N., ab harum caussarum quæsitu trãsferte animum ad ipsius sternutationis caussas perquirendas,vt indè sternutationis cõmoda, ac incommoda in morbis colligere possimus,quod vestræ in me audiẽdo liberalitati postremum hodierno die reseruaui.

Duæ sunt sternutationis caussæ, vna quæ a cerebro prodit,altera,quę ab altera caussa cietur;primam eleganter descripsit,*Hippocrates*, x dùm voluit sternutamentum ex capite fieri calefacto cerebro, aut humectato eius inani spatio,aere intùs contento extrà erumpente, fit autem cerebro calefacto, eiusque ventriculis

x *lib. 7. aph. 45.*

præ-

præhumectatis, nàm calor siue internus, siue externus in quauis caussa, vel etiam frigiditate ambiente, intentior factus humiditates in cerebro asseruat, rarefacit, atque in flatuosum spiritum vertit. Altera verò caussa est, quæ ab altera caussa emanat, cùm quid mordicans, & vellicans sua qualitate primùm nares, & ex consensu anteriores cerebri partes ferit, irritatque, & sursùm mouet; huiusmodi sunt penna naribus indita, aeris frigidi inspiratio in nares sursũ elatos, acria omnia, puluis scilicet piperis, sinapi, nigellę, pyrethri, hellebori albi, euphorbi, nicotianæ, & alia phtarmaca, vapores item è cæpis, allio, raphano agresti, & similibus exhalantes, radij etiàm solis, lux magna, & similia. Irritata siquidem facultas ad excutiendam molestiam è narium meatibus, vt in tussi à pulmonibus, & aspera arteria concitatur, ac spiritus per eos valentiùs, vel confertim delatus, sibi vias, non aliter quàm tibias, aut fistulas artifices expurgant. ideòque *Galenus* y primùm inter symptomata, quæ fiunt naturæ stimulatæ opera, sternutamentum posuit. Tria itàque ad sternutationem faciendam concurrunt, motor, materia mota, & locus per quem mouetur. motor est ipsa expultrix facultas cerebri; materia mota est spiritus, siue aer; locus per quem mouetur sunt narium meatus: stimulatur enim expultrix cerebri facultas à calore, ac spiritu vel copioso, vel acri circà cauitates, & in cauitatibus ipsius existente nõ sine maximo sonitu per

y lib. 2. de symptb. caussa. cap. 1.

nares extrudit; atque adeò rectè dixit Aristoteles z sternutationem fieri à molestia, & præsertim à calore, quod confirmatur ex eo, quòd dormientes non sternuimus; tunc enim cerebrum refrigeratur, & quiescit, calore intùs ad cor reuocato; sicut etiã ex eo, quod cessat sternutatio, & sternuendi cupiditas cõfricato oculo, & maximè quousque lachryma effluat, quia calor, & molestia foràs auocatur, intùs quiescit. Ex dictis igitur manifestè infertur, id quod in principio innuimus, semper nimirùm in sternutatione expelli caussam molestiæ, quæ in anterioribus cerebri ventriculis percipitur; atque ob eam caussam meritò sternutamentum indicium valetudinis esse dicitur à Philosophis, ac Medicis ferè omnibus: siquidem illo benè caput valere, & posse concoquere significatur: tunc enim excitari sternutamentum solet, cũ capitis calor humorem, spiritumque cõuincit; sic sternutationes ieiuno corpore factas cerebrum alleuiare, sẽsuum hebetudinem remouere, collum augescere, faciem mundare, sensus reficere, vitam protrahere, fumositates de mũ in cerebro inclusas dissoluere dixit ex Aristotele Arnaldus a sic sternutamentum, nisi à destillatione moueatur plurimùm cõducit cerebro vaporibus oppleto ex Galeno; b grauedini, caro, apoplexię, & lethargo medetur ex Aetio, c singultum soluit ex Hippocrate, d Crysimacho Medico in Platonis conuiuio, & Aristotele in problematibus; confert mulieri ex vtero laboranti, aut

z probl. 10

a Villanouan. c. 8. de Regimine sanitat.

b lib. 2. de sympt. causs. cap. 4.

c ser. 6. c. 97.

d lib. 6. aph. 13.

difficulter parienti ex *Hippocrate*, [e] & *Celso*, [f] secundinas expellit, [g] in deploratis denique morbis salutem pollicetur ex *Hippocrate*, [h] *Aristotele*, [i] & *Alberto Magno*. [k] Salutem pollicetur in desperatis morbis, quia naturam anteà languidam, & torpescentem excitari indicat, materiam iam concoctam esse ostendit, vim cerebri expultricem validam declarat, cerebrum absque incommodo exonerari demonstrat. Expelluntur fætus, & secundinę, & ob compressionem Epigrastij musculorum magna vi factam ab expulso spiritu à cerebro in pulmones, eorumque bronchos, ac septum transuersum, & ob tremulum motum illum, qui fit in sternutatione, ob quem laxantur vincula secundarum à placentula, fætus descendit. Mulieri ex vtero laboranti, aut difficulter parienti confert, & vt signum, & vt caussa; vt signum, tùm quia cerebrum benè valere denotat, tùm quia sternutamētum suapte natura exsuscitatam animi vim significat in præfocatis, & difficulter parientibus plerùmque sopitam; confert etiam vt caussa primùm in suffocatis, quoniā si affectus oriatur à vaporibus frigidis, concussus ille calorem excitat, sicque vapores discutit frigidos, sin autē fiat ob semen, vel menstrua retenta, ad ea similiter eijcienda, non parùm auxiliatur illa motu suo vehementi discutiendo; non minùs quoq; in difficultate partus sternutamentum confert, quoniam siue mortuus sit fætus, siue imbecillis eo motu facultas expultrix ad eijciendum ma-

e lib. 5. aph. 34.
f li. 2. c. 8.
g ibidem aph. 47. & 2 epidem.
h libr. 2. progn. 49.
i sectio. 3. probl. 9.
K libr. 1. de anima. cap. 8.

 gis

gis confutatur. singultum soluit, dùm eodem modo, per motum scilicet vehementem, dissipat humores impactos ventriculi tunicis, vel vapores spiritualia instrumenta lędentes, ac singultum implorantium inducentes. capitis prodest morbis, vt grauedini, lethargo, & similibus, quia per se caput leuat, & expurgat, caussamq; abigit morbificam. cerebro deniq; vaporibus oppleto plurimùm conducit, ob excussionem materię cerebrum, & nares grauantis.

Verùm quàmuis ex vna parte indicium sit valetudinis sternutamentum, cùm tamen ex altera, humoris adhùc plusculum capite conclusum significet, hinc sternutamentum, & indiciũ morbi habetur fermè apud omnes, & apud aliquos planè morbus appellatur; imò Hebræis morbum hunc vocari Casaubonus affirmat *Aceracb* in *Athenæum*. Morbos itàque Thoracis omnes lędit sternutamentũ ex *Hippocrate*; *m* nocet initio catarrhi ex *Auicēna*; mali ominis est in febrib⁹ ex Paulo. malũ portēdit in febrib⁹; quia caput replet, virtutē deijcit, & sanguinē elicit, aliaq; infert incōmoda; nocet initio catarrhi, ꝑpter motũ, qui coctionē īpedit; lædit Thoracis morbos omnes: pulmones enim mouet, atq; exagitat, quos in quiete cōtinere expedit.

Agnoscitis iam, N, ignari vulgi nugas, ac fabulas, quibus strenuè hallucinatur, dùm boni ominis sternutamentum morbis omnibus esse putat. Vultis nunc manifestum indicium quandò bonum, quandò malum portendit sternutatio?

l lib. 2. c. 15.
m libr. 2. prorh. 49.
n fen. 5. li. 3. tr. 2. capit. 13.
o lib. 2. c. 49.

tatio, dicam. tunc salutaris est sternutatio quādò breuis est, nec sæpiùs repetita, ac apertæ sūt viȩ ità vt noxia educatur materia; aliter malum signum, deteriorque effectus. ex longa enim, & repetita sternutatione, qua cessante cœpit sanguinem expuere Laura vxor Florauantis Mattucci cùm sanie aliquandò alba, aliquandò plumbea, & pallida absque tussi, vomitione, & similibus, in eam peruenit sententiam *Horatius Augenius*, p in anteriori nimirū cerebri parte, in qua narium meatus elucescunt, abscessum quemdam contineri, qui sternutationis, aliorūque sympthomatum, qui cum ea cessarunt, erat caussa. Prætereà ex sæpiùs repetita sternutatione per diem, noctemque caussam vehementem molestia affecisse cerebrum cuiusdam attonito morbo affecti, coniecit *Cardanus*, q ipsum que sternutamentum lancinasse cerebri ventriculos anteriores, & alibi r iuuenem ægrum se vidisse testatur, qui altera die perijt, cùm vespere præcedenti sternuisset plusquàm tricies, nihilq; emitteret. narrat etiam ibidem Ioannem Ludouicum Bouium, qui annum agens sexagesimum quartum, post multa signa mala affecti cerebri, cùm lōgo morbo decubuisset, sternuit mane vno forsan viginti quinq; vicibus leuiter & inani effectu, tertiaque die perijt. fuisse pestē in qua cùm breui momento sæpiùs sternutassent homines statim concidebant, animamque afflabant superiùs retulimus. Et iure quidem optimo sympthomata hæc, mortem ipsam prænū

p *lib. 7. de febr. c. 26.*

q *lib. 5. aph. 47.*

r *lib. 7. aph. 45.*

tiam immodica sternutamenta, cùm magnam cerebri affectionem, ac molestiam indicent.

Hinc infero, quod quantò plura, & sicca, atque inania, eò peiora sunt sternutamenta. rursus memini me legisse, apud *Guilhelmum Fabricium Hildanum* ex sternutatione neruorũ opticorum obstructionem, & ex hac cæcitatem consequutum fuisse Adolescentem, qui ex immodica titillatione irritatis naribus circiter cẽties, & ampliùs sternutauit. quinimmò *r* narrat profluuium menstruorum grauissimum, atque periculosissimum ex immodica, & violenta sternutatione consequutum. Maneat igitur, quod præfari voluimus sternutationem morbis omnibus non prodesse, multos producere morbos, multos augere, quamplũrimos hominum interimere.

[margin: f Cent. 1. obseru. 24]

[margin: r cent. 5. obseru. 58]

Cùm igitur sternutationes soleant interdũ alia mala facere, vt pote caput replere, vires deijcere, & sanguinem è naribus prouocare in febribus, coctionem impedire in catarrhi initio, pulmones, & totum exagitare corpus in morbis thoracis, aliaq; inferre in alijs symptomata, quomodò ijs erit occurredum debemus videre. Multa afferunt Doctores oportuna remedia quorum elenchum hic afferre esset in longum Disceptationem protrahere, idcircò ea, quæ mihi aptiora videntur hic adducam.

Itàque si à capitis excrementis sit sternutatio, caput euacuare oportet; si à caussis externis, illæ amouendæ: nullus enim potest auferri

esse-

effectus, nisi eius caussa auferatur. At si caussæ, siuè internæ, siuè externæ statim tolli non possunt, vt illa irritatio tollatur, quatuor occurrendum erit modis. Vnus est longa frontis, oculorum, collique frictio, cuius frictionis beneficio vapores illi, qui sternutationes faciunt, discutiuntur, ac dissipantur. hoc modo sternutationes desinere confricatis oculis superiùs diximus. secundus modus succurrendi est, frictio palati; quæ fit cùm pannis asperioribus, aut digito; ab hac enim frictione duo habentur, vnum, quod calefacta pars humores dissipat, alterum, quod per eam frictionem diuertuntur humores à naribus ad palatum. tertius modus est capitis cõmotio, & versio, modò in hoc, modò in aliud latus, siquidem huiusmodi motu humores illi, qui ad nares pertingunt, gignuntq; sternutationem ab eo loco dimouentur. quartus est frictio, & ligatura extremorum. hisce remedijs alia addũtur ab *Auicenna*, vt olea discutientia auribus infusa, cuiusmodi est oleum anethinum, liliaceum camomelinum, &c. similiter etiam mãdibularũ inunctiones, ac musculorum temporalium. vult pariter *Aetius* u oleum rosaceum, dulce, & vnguentum nardinum auribus esse apponendum. Vltimò denique animaduertere non desinam id, quod monuit *Paulus Ægineta*, x vt scilicet prouideat peritissimus Medicus ne repentinè æger à somno excitetur; quandoquidem somnus sternutationes prohibet, vt superiùs dictum est.

u cap. 98.

x libr. 2. cap. 49.

Ex-

Exposui hactenùs, N, quæ mihi dicenda constitui de sternutamentis, vnde quātùm sternutamenta afferant detrimenti corporibus, quomodò sint sistenda, quàm inanis sit, ac fabulosa vulgi opinio circà sternutamenti indicationem colligere facilè poteritis, quibus pro vt mearum virium imbecillitas valuit absolutis, liceat mihi per vos, reperto feliciter exitu, conquiescere. Dixi.

Sanguinis Fluxus è Naribus, Quid Indicet in Morbis, & Quomodo Curandus.

DISCEPTAT. QVARTA.



IQVIS vnquàm vestrum, N, N, circumspexit diligentiùs animo arcis custodem se ab hostium obsidione defendentem, in eam opinor, sententiam facilè prolapsus est, vt existimaret, vel ipsum subsequi naturæ vigilantiam in coercendo morbo, vel naturam eius fuisse imitatricem, dùm se vehementer à morbo tuetur. Et mihi quidem in hoc ipsum sæpiùs intuenti in arcis signiferis, ac statorijs naturales, vitales, ac animales facultates, in militibus, ac tribunis spiritus, & ministrantes potentias, & omnia in alijs arci inseruientibus membra cognoscere sum visus, quin etiam sicuti Castelli Præfectus

fectus in arcta obsidione, magis defensioni principis partis incumbit, vel parti debiliori in minori discrimine; ità & natura in leuioribus morbis debilioribus partibus succurrendis tota quanta est incumbit, at in magis periculosis, & vehementissimis neruos omnes intẽdit ad principaliores partes custodiendas, ac defendendas, parùm, aut nihil curãs de ignobilioribus; & quẽ admodùm peruigil arcis præfectus, vel inedia motus, aut rerum defectu necessariarũ, vel diuturna obsidione defessus, inopinanter ab arce egressus, repentè contra obsidentem exercitum certamen tentat, validaque aggressa pugna, aut vincit, expugnatque aduersantes turmas, & se ab obsidione liberat; vel ab hostium exercitu, militibus dissipatis omnibus, omni salutis spe destitutus, viribus debilitatis captiuus redditur. ità & prouida, ac sagacissima natura ex dura, quandoque morbi pugna, de viribus proprijs fortasse, ac de futuris desperans, morbo, caussis, ac sympthomatibus irritata sæpiùs in ipsum morbum antè opportunum tempus inuehitur ad prælium, atque aut illum planè vincit, superatque, aut sui ipsius vires magis deijcit, non sinè magno ægrotantis discrimine. hinc crises imperfectæ, & importunæ, quandoque aliàs perfectissimæ in morbis acutis præter expectationem contingunt. hinc sanguinis fluxionum è naribus in morbis quamplurimæ salutem, quamplurimę mortem afferunt. hinc eiusdem stillicidia plerùmque malum præsagiunt; de quibus noster

hic breuis instituitur sermo.

Qui, vt indè suum ducat exordium, tria nobis subaudire oportet ex sanguinis fluxu per nares primum, sanguinem largiter fluentem, secundũ, sanguinis stillam, tertium, sanguinem mediocriter fluentem. Primus fluxionis modus febres ardentes, præcordiorum, omniumque viscerum phlegmonas perfectè iudicat ex *Hippocrate*[a] *quibus*, ait, *acutè febricitantibus sanguis per nares recte, ac largè erupit, hi periculo morbi euaserunt, nec quemquam eorum vidi, qui in ea constitutione interierit.* Methon[b] quinto die prorupto è naribus sanguine ad salutem iudicatus est. Larissea Virgo[c] febre correpta, sexto die quantumuis tyranno, per liberalem hemorragiam è naribus febris expers perfectè iudicata est. Heraclides, qui apud Arstocl dem decumbebat, cui per nares sanguis erupit vigesimo die fuit iudicatus. Abdera Virgo, quæ decumbebat in sacra via, cui decima septima sanguis per nares fluxit multus, vigesima septima perfectè fuit iudicata. Demùm Philonis filia, cui sanguis à naribus largè fluxit, perfectè etiam fuisset iudicata, ni septima die intẽpestiuiùs cænasset, vt idemmet aduertit *Hippocrates.*[d] præterea 4. *aphor.* 60. aurium surditatem sanguinem è naribus erumpentem soluere affirmauit. & 5. *eiusdem* 33. mulieri mensibus deficientibus sanguinem è naribus fluere bonum esse testatur. E conuersò perniciosę sũt habendæ largæ sanguinis è naribus fluxiones in morbis longis, in quartanis febribus, & in diebus

a *libro de iudicat. et 1. epidem. sect. 2. constit. 3.*

b *lib. 1. epidem. sect. 3. ægr. 7*

c *lib. 3. epidem. sectio. 3. ægra 12.*

d *ibidem.*

bus iudicatorijs, pręcipuè in quarta cùm maximis perfrigerationibus si non aliud quid boni coinciderit, vt 4. *aphor.* 82., 3. *porrhet.* 41. & in *coacis* habet *Hippocrates*.

Perfectæ iudicationis ex larga sanguinis è naribus eruptione ratio colligitur ex *Galeno in proprijs epidemiorum commentarijs*, vbi ità loquitur *in acutis febribus, quod ex sanguine feruet ad caput fertur; cùm igitur rescissis, ruptisque venis, natura id ipsum cùm aceruatis vaporibus effuderit, cæteris promptiùs dominatur, ac imperat. nam nihil habet admirationis, si disrumpantur, & recludantur huius regionis venæ à sanguine, qui sursùm incitatus calore effertur, à quo necesse est ipsum inflari, tùm reserari venas, ac rumpi, ob spiritus copiam, qui disrumpit vel vtres, ac dolia, cùm in musto efferuescente accumulatur, &c.* & *Vallesius* in *commentu Constitutionis tertiæ*, sic discurrit *febres ardentes semper ferè solent afferre fluxum sanguinis è naribus, sanguine sursùm lato præ calore, & admixtabile: & ea vacuatio in illis maximè prodest, quia ipsas venas, & arterias per se euacuat putrescente succo, & eo, qui paratus est putrescere, & feruorem extinguit. meritò ergo seruabantur, quibus sanguis fluxit benè, decretoriè scilicet, & tempestiuè: largiter, idest, pro multitudinis ratione.* Videte igitur, N, quomodò natura benè tuetur corporis humani arcem in morbi obsidione, videt illam in capite obsessam multo sanguine, qui sursum, qualiscumq; fuerit semper est malus, teste diuino sene, e ibi pugnã aggreditur, ac facultatibus, spiritibusque adiuta

e 4. *apho* 25.

venas disrumpit, & vt *Galeni* citati verbis vtar, *sanguinem vnà cùm aceruatis vaporibus effudit, cateris promptiùs dominatur, ac imperat.*

Verùm cùm non sinè maxima perturbatione perfrigeratioreque sanguinem effundit, quod in diebus criticis solet euenire, malum portendit; tunc enim natura vel summopere, & plusquam par est irritatur, atque adeò perfrigeratur lethaliter, vel ob nimiam imbecillitatem ex perfrigeratione tùm venarum, tùm hepatis sanguinem permittit liberè effluere, atque eo tempore, in quo naturæ victoria expectatur, videtur natura defessa, & deuicta in morbi prædam se remittere, quod statuit *Hippocrates in coacis*, & 3 *porrhet.* 41. dicens, *quæ diebus criticis perfrigerationes fiunt vehementes à profluuio sanguinis pessimæ.* at si sanguine fluente modica accedat refrigeratio potiùs fluxum sistit, vt ex *Hippocrate* cõstat *f* illis verbis *quibus principium largum sanguinis profluuium, rigor fluxionem sistit: si verò magna, ac vehemens, in qua vix redit calor, pessima est, vt signum, & vt caussa.*

f 3. *porrhet.* 56.

Est etiam larga sanguinis è naribus fluxio in Quartanis febribus pessima, tùm quia denotat sanguinem esse tenuem, & serosum ob imminutum in toto corpore natiuum calorem, quod quidẽ semper est malum in cunctis: calor enim natiuus vel est ipsamet facultas corporis totius gubernatrix, vel primum illius instrumentum; tùm quia exitu sanguinis vires, alioquin longitudine febris attritæ, multò magis exitu sanguinis immi-

imminuitur; tùm denique quia præter naturā est sanguinem melancholicum supra ferri (ob quod forsan dixit *Hippocrates* g Quartanarios non fieri Epilepticos, imò si sint liberari) siquidē biliosus est, qui sursùm fertur, & egreditur, vndè cùm humor melancholicus tenuis euadit, ità vt sursùm feratur, cùm id contrà sui naturā patiatur, haud indè quidquā boni expectandū.

g *6. epid. sect. 6. t. 9.*

Secundus fluxionis modus est sanguinis stillatio statim desinens, quæ semper malū pronūtiat teste *Hippocrate* in *coacis prænotionibus*, vbi ait *sanguinis stillæ pusill'æ malæ*, & *Galeno* in *commentu lib. 3. epidem. Hippocratis tex.* 35. asserente, *& vt breuiter dicatur, omnis de naribus stilla, vt docuimus, prauum est signum.* quod etiam alibi docuit omnium magister *Hippocrates*, & præcipuè *libro 1. porrhet. sect. 2. tex. 46.*, & *lib. 1. epidem. sect. 2.* & cōfirmauit historijs multis, nempè Philisci, Epaminonis, Sileni, vxoris Dromeadæ, Parionis in Thaso, mulieris existentis in mendacium foro, & aliorum, quibus parùm sāguinis è naribus erupit, & mortui sunt. Quæ sanguinis stillatio tātò pessima est habenda, si est mera, atra scilicet, & nigra, vt *Galenus* in commentarijs Philisci, & Ægroti decumbentis in horto Dealcis ratiocinatur. Detestanda si bis, & pluries stillauerit iuxtà *Hippocratis* oraculum *lib. 1. prædictionum*, & in *coacis* vbi habet *vndecima die contingentes sanguinis distillationes difficiles sunt, tùm aliàs, tùm si bis superstillauerint, & rursùs stillauerint.* vnde infertur exitiales censendas esse sanguinis stillas si in die iudica-

dicatorio successerint, sicut etiam in die indicatorio, vt de stilla sanguinis in quarta *Hippocrates* scribit *lib. 1. porrhet. tex.* 1. & de stilla sanguinis in decima quarta in historia mulieris existentis in mendacium toro. Omnium denique lethalior erit censenda stilla sanguinis ex vtraque nare profluens, vt in historia Philisci patet, qui mortuus est sexta, cùm stillasset sanguinem è naribus

Cur autem stilla sangninis semper sit mala, nulla alia est assignanda ratio, nisi quia natura morbo, caussa, ac sympthomatibus irritata certamen tentat, suasque deijcit vires, vt diximus irritatur, à morbo, caussa, ac sympthomatibus natura, quia vt habet *Hippocrates*, h stilla sanguinis è naribus vehementiam, ac multam circa venas inflammationem significat facientem sanguinem ebullire, & sanguinis, ac viarum densitatem; atque adeò, vt ait *Galenus*, i natura concupit, quod superfluum est excernere, sed ob propriam imbecillitatem, sanguinisque crassitiem nequit, quod clariùs innuit k illis verbis *excerni pauca in agris, unum quoddam ex signis est, qua ex toto prauitatem ostendunt, siue sanguis per nares excernatur, siue alio quopiam modo superfluum expellatur: Nihil enim eorum, qua decretoria sunt, exiguè secerni conuenit: sed qua ità vacuantur, omnia duorum alterũ subeunt, nàm vel quod nõ queãt tolerari ob copiam, ab affectis partibus effunduntur, vel imbecillitatem natura ostendunt, qua proponit quidẽ superflua expellere, sed nequit.* hæc *Galenus*. en morbi irritamentum, en naturæ pugnam tentatam,

h *libr. de rat. vict. tex.* 67.

i *in cõm. tex.* 67. *cit*

k *lib. por rhet. sect.* 2. *t.* 46. *in comm.*

en

en eiusdem debilitatem.

Hinc infero, ideò prauam esse sanguinis è naribus stillationem, quia dicit decretorium non iudicans, omnis enim incepta operatio, seu excretio statim desinens summopere damnatur ab *Hippocrate*, præcipuè in acutis, quandoquidem maior est securitas in febribus, in quibus natura nihil excernit, quam in quibus pauca, & inutilia, siquidem coctioni esse intentam arguitur: præterquam quod nulla apparente stilla, materiæ elucet benignitas, quæ inepta est, antè tempus naturam irritare (quapropter *Galenus* l paucam è naribus stillationem comitem esse malignarum febrium asseruit, vt copiosa sanguinis profluuia, lenium) naturæ enim perfecta operatio nunquàm in pauco, quia quādò paucum excernit, signum est naturam & qualitate, & quantitate oppressam esse; qualitate irritatur ad operandum, quātitate opprimitur, ac defatigatur; vndè sub iugo defessa opus inceptum non perficit; quid igitur boni sperandum, quandò in ægrotante malam qualitatem præualentem, & irritantem, & naturam sub onere defessam conijcimus?

l lib.1.epidem.sect.2 t.74. in cōmen.

Peior autem est habenda stilla sanguinis atri & nigri, & præcipuè si crassæ substantiæ fuerit, quam rubri: tùm quia adustionem maximam sanguinis, & per consequens maximum incendium internum enuntiat, tùm quia nigricans color exitialis est, & morbum ab atrabile ortū duci demonstrat, qui solutu difficilis est, & perniciem

niciem minatur. Detestanda itidem est si bis,& pluries stillauerit, hoc est, interiectis aliquibus horis, vel pluribus diebus, vt potè quarta, vel quinta, vt de Philisco, Sileno, & alijs scribit Hippocrates: dicit enim repetitio illa maius irritamentum, maioremque naturæ debilitatem.

Exitialis iudicanda est sanguinis stilla in die iudicatorio, ac indicatorio, quia vt habent *Hollerius*, & *Iacotius*, m eo tempore, in quo naturæ victoria expectatur, videtur natura defessa, ac præ debilitate ab incepto opere desistere. Sed inter omnes dies quartũ tamquàm perniciosissimum habet *Hippocrates*, dùm *lib. 1. porrhet. cit.* sic inquit *stillatio è naribus perniciosa, tũ aliàs, tùm si quarto die ceperit*, quod *Galenus* exponens ait, *cùm itàque stillatio sanguinis e naribus semper malum signum sit, absoluta morbi malitia significatur, si quarto die fiat.* videtur siquidem natura collectam in cerebro abundantiam conari expellere, sed nequire; quem sequutus *Aetius*, n ait: *distillationem sanguinis narium, quæ in quarta contingerit; pessimum indicium esse Hippocrates asserit, collectam enim multitudinem in vniuerso corpore, aut in capite ostendit stilla sanguinis, aut inculcatis, aut condensatis meatibus.* quod si iudicantia in diebus iudicatorijs nihil iuuant, sunt eradicatu difficilia, quæ in contrarium repunt debent esse lethalia, vt ex *Galeno* o patet, atque adeò si stilla sanguinis in quarto non iuuat, vel difficile saltem iudicium ostendit, vel lethale signum erit, eò maximè quod in quarta acriores fiunt

m *in comm. coac. prænot.*

n *tetrab. 2. sermo. 1. c. 124.*

o *libro 3 porrhe. 35*

accessiones, quę malitiam sæpè demonstrant.

Omnium denique lethalior erit censenda stillatio ex vtràque nare profluens, quia, vt habet Doctissimus *Mercurialis*, p vtriusque hypochondrij denotat læsionem, & per consequens totius corporis.

p *in cõm. hist. Phil.*

Verũ non semper stillatio mali ominis erit censenda, aliqua morbi species hanc stillæ noxam excludit, adeò vt si superuenerit, parùm, vel nihil mali demonstret; cuiusmodi est febris intermittens, & continua, in qua fieri solet ratione sedis morbosæ caussæ, propterea vitium noxij humoris paruum ostendit, exiguum autẽ si continua fuerit, & ortum à pituita duxerit.

Ampliùs hoc sanguinis stillicidium aliquandò profuisse testatur in *coacis Hippocrates*; nàm si stillicidium mouetur cùm virium robore, arguit venarum inflammationem, ac principiũ, vel finem incrementi, si coctio apparuerit; vndè colligimus cùm eruditissimo *Mercato* q tam quàm ab indicatorio in primò die decretorio iudicium futurum per hemorrhagiam, modò ægri natura, temporis constitutio calida, species morbi biliosa, cùm multo sanguine, ac denique humorum ad superiora inclinatio consentiãt, iuxtà *Hippocratis* sententiam *6. epidem. sect. 6.*, maximè si sanguis exeat viuidus, rubeus, floridus, & sine vstione; arguit enim potiùs impedimentũ, quàm naturæ infirmitatem, ac naturam se se contrahere, & rapi sursùm, aperirique venas Nasi, vndè parte aliqua morbus soluitur.

q *lib. 3. de morb. par. 2. de signis c it. class. 4 qu. 200.*

Vlteriùs ſtillam ſanguinis excipimus, quæ fit circà febris initium cùm ſternutatione, quod innuit *Hippocrates* r illis verbis *quibus febre incipientibus ſanguis è naribus, ſternutatione contingente, deſtillat, ſalutionem ſignificat.* cuius rei nulla alia eſt aſſignabilis ratio, niſi quia ſternutamenta validam cerebri, & capitis facultatem ſignificant.

r *in coac.*

Conſuetudinem denique contemplari oportet: quandoquidem cõſuetus in ſalute ſanguinem è naribus ſtillare, nullum malum formidandum, ſi id in ægritudine illi contingat. Videmus enim *Hippocratem* ſ conſuetudinis ratione, multa à lethalibus excipere, veluti de oculis apertis in ſomno, dentium ſtridore, aliiſque.

ſ *libro 1. progn. 10. & 14.*

Tandem tertius fluxionis modus eſt medius inter copioſam profuſionem, & ſanguinis ſtillam, qui, quoad periculum attinet, ambigit, vt Methoni cõtigit, qui quarta die ſtillam emiſit, quinta largiter fluxit, & quod reliquum fuerat paulatim expurgatum fuit per ſudores, & hæmorragias; quo cenſu medio modo laudandus venit, aut ſi per vices, & interualla fluxerit, quo minùs vires pereant; vt in Virgine Lariſſea citata contigiſſe refert *Hippocrates*, & in Cleanactide t qui ſupra Heracleum decumbebat, cui circà trigeſimam ſanguis ex vtriſque naribus erumpere cœpit, atq; hoc erroneo modo paulatim vſque ad perfectam iudicationẽ erupit.

t *2. epidé. ægro 6.*

Cæterùm quomodò præſentibus huiuſmodi

di sympthomatibus est insistendum, remanet indagandum, & quidem non sine multo iudicio, ac consilio, se gerat peritissimus Medicus. idcircò, vt cùm ordine assignato procedamus, debet pr ùs considerare, an larga sanguinis è naribus fluxio conferat, perfectèque iudicet, an non. si primum, nihil debet operari iuxtà *Hippocratis* doctrinam *lib. 1. apho.* 20. quæ enim iudicantur, & iudicatæ sunt integræ neque mouere, neque nouare aliquid oportet, siuè medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere; si verò non perfectè iudicat, caussa est indaganda, vel enim non iudicat perfectè, quia non confert, neque corpus benè tolerat, quod euenit cùm maximis perfrigerationibus, quod quidẽ ostendit maximum naturæ irritamentum; vel non perfectè iudicat, quia natura debilis, ac imbecillis ex perfrigeratione tùm venarum, tùm hepatis sanguinem permittit liberè effluere. si primum, est natura exoneranda, cõtraria enim contrarijs curantur, siquidem est oppressa, ac summoperè irritata. exoneratur natura minoratione materiæ, minoratur materia precipuè in hoc casu euacuatiua reuulsione; & iure quidem optimo: quoties enim humores, quicũq; ij fuerint, indecenter, ac preter naturam mouẽtur ad aliquam partem, aut ad motum sunt parati, aut immodicè euacuantur, vt motus iste compescatur, & prohibeatur, contrario motu ei est occurrendum, retrahendo videlicet eos à termino a quem fluunt, aut fluxuri sunt, ad

terminum illi oppositum, & longinquum, ac remotissimum. sic legimus *Hippocratem* u docuisse *reuellendum esse; si quo non oportet, humores vergant*: & *Galenum* x *si etiam nùm fluxio valẽter irruat, reuellere ad contraria studebimus.* habetur autem hęc sanguinis reuulsio potiùs venæ sectione, vt *Galeno* y placuit, quàm vomitu, vel vẽtris turbatione; sed vnde nam venę sectio sit facienda, est videndum. neque nescius sum multos posse affirmare ex bracchio esse tẽtandam, eo præcipuè, quòd iam sanguis fluxerit ad caput, & affectio sit supra hypocondria.

u 6. epid. sect. 2. tex. 29.
x libr. 4. meth. 6.
y lib. 3. por rh. tex. 49

Verùm mihi relictis omnibus disputationibus hac via incedendum esse videtur: si fluxio non apparet in principio febris, & æger adhùc constat viribus, tunc media, aut interna bracchij dextri vena erit secanda, dùm hepar membrum mandans est, ac sanguis è dextra profluit nare; sinistri, dũ è nare sinistra; vtriusque, dùm è nare vtraque, non autem vacuationis, sed reuulsionis gratia, vt dictum est, iuxtà *Galeni* doctrinam ibi z *Quod autem ait manum recto tramite nari, vnde sanguis abundè fluit, respondentem secare, manusque eiusdem humoralem venam ferire oportet, liquidò constat omnibus: si verò ex nare vtraque fluxerit sanguis, secare ambas nihil prohibebit: non enim per eas vacuationis, sed reuulsionis gratia, sectionem facimus.* At si caput magis sanguine abundare videtur, cephalica eodem modo erit aperienda. Verùm foramen fieri debet angustum, vt, remanente crasso non ità ad fluendum apto, subtilis exeat sanguis, qui mode-

z comm. 3 porrh. t. 53

ratè

ratè erit educendus ad vnciã vnã, vel duas, atq; iteratò post horam, vt vult *Daniel Sennertus*, a & docet *Galenus* b dùm tradens modum, quo fluxus sanguinis deriuari, reuellique possit, sic ait *Quod si resolutus adhùc æger non sit, etiam vena ex eo cubito incidenda, qui profusioni è directo respondeat: vbi paululùm detraxeris, mox vnam horã intermittens, rursus detrahes: post iterùm, atque iterùm pro laborantis viribus*, quod confirmat Auicenna c illis verbis *ampliùs vena, quandoque phlebotomantur, propterea vt fluxus sanguinis ex naribus, & matrice, & ano, & pectore prohibeãtur, aut ex alijs vulneribus, aut plagis, ideò vt sanguis ad id, quod à parte illa est diuersum pertrahatur, & hoc quidem medicamen est forte in iuuanda. Oportet verò vt foramen phlebotomiæ sit vehemẽter stri ctum, & sint vices multæ, quæ non sint in vna die, nisi magna necessitatis caussa fuerit, sed in die post diem: & quacumque vice minoratio fiat, quantum possibile fuerit: & ad summum meliùs est, vt phlebotomiæ vices sint multæ, quam vt ipsius quantitas sit multa.* & quidem quantum afferat vtilitatis iterata sanguinis detractio in iuuandis fluxibus apertè ostendit idem *Galenus* d dùm inquit *Quin & reuulsionem, non leue & ipsam auxilium, quodque sæpe secta adhibetur vena; quantò maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tantò efficaciorem effeceris.* quandoquidem, vt dicebat Auicẽna e *melior est multiplicatio numeri multiplicatione quantitatis.* Cuius iteratæ, strictæque sectionis duplex habetur ratio. Altera, quia quan-

a libro 1. pract. p. 3. sect. 4. c. 8. § sed ut ad specialia

b libro 5. meth. c. 3.

c 4. 1. c. 20

d libr. de sang. miss. cap. 12.

e 4. 1. c. 3.

quantitas, quæ debet exire, in plures partes diuisa minùs deijcit vires ex priori fluxu valde debilitatas. Altera verò, quia fluentis sanguinis impetus meliùs auertitur iterata phlebotomia, ac è naribus ad venæ apertæ locum conuertitur: atque adeò sanguis excurrens pedetentim naturam à sanguinis fluxu vehementer distrahit. Verùm si fluxus initio febris apparet, quandò sanguis ex toto corpore caput petere incipit, tunc ex pede phlebotomiam faciẽdam esse censeo: tunc enim reuulsio è longinquo facta loco præstantior est: sanguinem etenim manantem mirè compescit: quia natura sanguinem ad distantissimam partem transmittere assuescit: atque adeò efficacior multò fit reuulsio à parte præstanti. hoc modo intelligẽdus est omnium magister *Hippocrates*, f qui *intendum esse* docet, *ut iectiones quàm longissimè à locis faciamus, ubi dolores fieri, & sanguis colligi solet*, & alibi g *Operamque*, ait, *dare oportet, ut quàm longissimè à locis, ubi dolores fieri solent, ac sanguis colligi, secemus*. hoc modo intelligendus est *Galenus*, seù h *Auctor de Anatomia Viuorum* qui saphenam phlebotomari ait *ad euacuationem sanguinis ex membris sub hepate, & ut sanguis à superioribus ad inferiora declinet*. hoc modo demùm intelligẽdus est *Auicenna*, i dùm idẽ, quod *Galenus* dixit confirmãs, subdit *& ad summum quidem venarum pedis phlebotomia confert ægritudinibus, quæ fiunt ex materijs ad caput declinantibus, & ægritudinibus melancholiæ*. qua etiam ratione, puto, *Galenum*

f *libro de nat. hum.*

g *lib. de ossium natura t. 4.*

h *de Anatom. ven. manicirca medium.*

i *lib. 1. fẽ. 4. c. 20. circa finem*

num K humores comitialibus morbis, vertiginibusque obnoxios cruribus vacuandos esse docere. Quare vel initio febris, vel in præseruatione sanguinis fluxus, è pede sãguinem exhaurire est saluberrimum. Quòd si perseueret ampliùs, vel in statu, aut declinatione febris apparuerit, tùnc ex bracchio erit commodissimè detrahendus, vt diximus, etiam reuulsionis gratia: quia tunc semper plerùmque supponitur sanguinem fluxisse ad caput. Quòd si in aliquibus contrarium ex signis obseruetur, vel vbi adest magna Plethora, etiam si initio febris sanguis haudquaquàm è naribus fluxerit, tunc priùs è talo, deindè ex bracchio reuellendum, vacuandumque esse sanguinem existimo, & ratione Plethoriæ, & ob rationes adductas. At si vires ad ferendam sanguinis missionem non ità sunt liberales, tunc & hirundines venis sedis, & cucurbitulæ scarificatæ natibus, & scapulis erunt applicandæ, pro vt peritissimo Medico videbitur.

K *libr. de sang. miss. cap. 19.*

Quod si ità vires langueant, vt nullũ ex his permittatur præsidium, alijs medicamentis reuellentibus erit occurrendum: inter quę summopere mihi essent commendandæ cucurbitulæ nõ scarificatę, frictiones, ligaturę, & alia huius generis, īter quę præcipuè erũt celebranda vessicantia, quæ reuellunt, trahuntq; sanguinis ichores, qui erant in caussa, vt sanguis magis efferuescebat, ac reddebant sanguinem magis fluxibilem, & permeabilem per omnes corporis

ris

ris partes sanguis etenim attenuatus faciliùs ad caput ascendit, atque adeò ad compescendum sedandumque huiusmodi feruorem, sanguinisque ebullitionem summoperè faciunt Vessicantia cruribus apposita. nec minoris momēti erunt censendæ largæ aquæ frigidæ potiones viribus constantibus, & reiteratæ viribus debilioribus (dummodò non adsint contraindicantia) & epithemata hepar refrigerantia, & vnctiones tantum attemperantes incendium, & clysteres refrigerantes, præcipuè ex lacte, & omnia denique quæ vim habent attemperādi sanguinis feruorem, ac refrigerandi, pro vt peritissimo Medico videbitur; ac temporis constitutio, vires, ætas, & similia permittent.

Sed iam tempus est, vt ad reliquos duos fluē di modos accedamus, qua quidem in re eadē incedendum esse methodo affirmo, eademque esse indaganda. si enim natura est valida, etiam in sanguinis stillicidio venæ pedis, aut bracchij sectio est tentanda; ea ratione, qua diximus. sin minùs cætera reuellentia sunt adhibenda, nec quisquam miretur, phlebotomandum esse in stillicidio, adesse sanguinis stillicidium absque virium iactura: hoc enim non dixissem, nisi *Galeni* auctoritate ductus, qui in commētu ægroti in Dealcis horto decumbentis citato hæc protulit *ergo fuisse priùs huic ægro, siquidem validis viribus erat; mittendum sanguinem liquet.* nequē mirum, inquam, cuiquam debet videri; dari sanguinis stillicidium absq; virium iactura; potest

qui-

quidem dari, & si rariùs: & defactò in tot epidemiorũ historijs, hic solus æger in horto Dealcis decumbens, morbo acuto correptus, tot lethalibus, prauisque symptomatibus, ac signis, quæ singulis diebus apparuerunt affectus, vt in eius historia patet, quæ quidem omnia denotabant partim multam, partim variam, & crassã, partim malignam materiam, partim etiam mẽbrorum principum affectionem, non interijt, & certè intrà finem acutorum obijsset, nisi fortè eum contigisset esse robustissimum, quod cùm esset, factum est, vt morbus neque finiri potuit, ob multam, variam, & concoctu difficilem materiam inter suos fines, neque hominẽ interimere ob eius firmitudinem, cùm ex acuto quatragesimum attingerit diem, qui iudicatorius est acutorum ex decidentia.

Multa debuissem adhùc dicere, N, sed iàm video, dùm loquor de sanguinis fluxu, ac stillicidio è naribus, vestrorum omnium frõtes præ maximo temporis æstu sudoribus irrigari; quã obrem, ne longior sim, & vestri incommodi importuna caussa coarguar, finem iàm dicendi faciam, cùm satis hactenùs vos ad tædium videar fatigasse. Dixi.



Submersorum Cadauera Maris ne, an Hominum Ope, ac Malitia Interierint, Quomodò Dignoscantur.

DISCEPTAT. QVINTA.

ETSI veteres, N, N, cùm mare magna quædam vniuersi pars sit, ac Cœlum circà talem planè locum coagmentetur, ob eam rem nobilissimum illud existimant, principatumque supra sublunaria illi deferunt, tamẽ nõ defuere, qui illud tã quàm multorũ malorũ fõtem conuitijs affecerint, ac rapidum, turbidũ, naufragum, infidum, iniquum, & infestum vocarint;ità vt *Lyricus Poeta* primum nauigationis inuentorem audacem existimans, cecinerit.

Illi robur, & æs triplex
Circà pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem.

Et certè quis illum non diiudicasset ingenti plenum audacia, qui per mare pauperiem fugiens morti se dedisset? Naui enim aduectos neque inter viuos, neque inter mortuos esse voluit *Bias*; parùm à morte illos distare *Anacharsis Scitha* dixit, citatus cecinit *Poeta*.

Exitio est auidum mare Nautis

M & Mar-

& Marcus Portius Censorinus ad extremum vitæ ductus maximè angebatur animo, quia cùm se terrestri itineri dare potuisset, mari se semel in toto vitæ curriculo commisit; quandoquidem etsi non parùm voluptatis, ac vtilitatis afferat immensum mare mortalibus; cùm, vt innuit *Plutarchus*, a inter cætera cōmoda pisces alat, hominibusque in diuersissimas Regiones proficiscentibus loco vehiculi sit, non ideò tamen est negandum multum detrimēti miseris afferre mortalibus: cùm ipsius pericula, dolosque nemo possit effugere, ac deuitare: dū enim maris gaudent placida mortales malacia, mutatum transuersum fremit, & statim ab alto cōsurgunt venti, & cogitur in nubem aer, præsentemque illis intentant omnia mortem, occidūt miseri, nec spes est vlla salutis; quamobrem sapientissimi veteres Atheniensium Reges in eo plurimùm allaborarunt, vt refert *Cælius Rhodiginus*, b vt à mari ciues abducerent, agrisque insuefacerent colendis, hinc *Ouidius* c cecinit.

a libell. de capienda ex host. vtilitate.

b libr. 16. cap. 3.

c lib. 2. de Rem.

Mare semper iniquum

& *Seneca* à Pelagi deterrens studijs, ait *Abstite infestum mare:* & quidem non immeritò mare, nunc iniquum, nunc infestum dixere; semper enim in mortales insidias, mortemque machinatur; cùm placidum ventis stat mare, tunc freta diffūdit, rapidisque tumescere ventis iubet, tempestatique voraci se accingit.

At non ex hoc solùm mare semper iniquum, ac infestum mihi dicendum videtur, verùm

etiam quia mortalium operit scelera. Homines enim rati vix posse auidam piscium famem corporibus à commoto mari submersis expleri, alios accidunt, in mare proijciunt, & maris vndis scelerum iniquitatem per summam impietatem operiunt. hinc leges latæ, hinc renunciationes, hinc relationes medicæ originantur: cũ enim inueniuntur à mari proiecta hæc corpora, statim acciri iubet Medicos Princeps, vt certum sit maris ne, an mortalium ope, ac malitia homines illi interierint. quamobrem si qui ad hos dignoscendos adhibetur, parùm sedulò in hoc genere versatus sit multa inania, doctoquè indigna effutire est necesse. De hoc autem est nobis in præsentiarum, & quidem breuiter, ac dilucidè agendum. Verùm antequàm huius distinctionis signa, si quæ sunt, assignare aggrediar, non erit abs re suffocationis naturam, causasque inuestigare, vt, habita eius essentia, faciliùs eius signa dignoscantur.

Definitur suffocatio ab *Auicenna*, [d] quòd sit prohibitio penetrationis anhelitus ad pulmones, & cor. quæ definitio parùm distat à definitione à *Galeno* [e] allata, vbi dixit, strangulationẽ esse interitum subitum ob inspirationis defectum; quandoquidem cùm tamdiù viuamus, quamdiù respiramus, vbi inspirationis est defectus, ibi & suffocationem esse est opus. Duplex statuitur ab omnib⁹ respiratio, alia insẽsil[i]s est, alia conspicua, & manifesta; illa Perspiratio, & Transpiratio à latinis vocatur, hæc verò Respi-

d *lib. 3 fé. 9. cap. 8.*

e *lib. 4. aphor. in cõmen.*

ratio

ratio, illa per occulta fit spiracula, hæc per sensiles, & conspicuos ductus: os quippè, & nares; quorum animalium languidus est, & debilis calor transpiratione sola contepta viuunt; sic exanguia, insectilia transpirant tantùm; sic fætus in vtero transpirat tantùm, non respirat: & hystericarum mulierum quamplurimæ exoluto natiuo cordis calore à venenata corrupti semi nis aura viuunt ad tempus, sola transpiratione contente. at quorum animalium calor ingenti velut flamma exardescit, non potest sola transpiratione, & arteriarum pulsu temperari; minori itàque adminiculo, quasi flabello, indiget, id autem sola respiratione habetur. Verùm quia de hoc disertissimè est loquutus Panormitanus noster *Laurentius Mussumeci* Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor eximius, ad eius eloquentissimam, doctissimamque disceptationem perlegendam curiosos remitto, & solùm respirationis naturam inuestigare conabor.

Est respiratio, vt habet *Andreas Laurentius* f magni nominis vir, & inter Medicinæ Professores præclarus, actio partim animalis, partim naturalis, qua per os ducitur aer ad pulmones distento Thorace, & vapor fumidus excluditur eodem contracto ad natiui caloris conseruationem, & spiritus animalis generationem. Etenim si eodem modo se habent respiratio, & pulsus in ordine ad motum, cùm vtraque fiat thoracis distensione, contractioneque, duæ respirationis erant partes, inspiratio,

f *lib 9. cō trou. q. 29.*

tio, aeris scilicet introductio, diastoles rationẽ habens, & expiratio, aeris scilicet extraductio, systoli correspondens; vtrumque motum gemina excipiens quies; secundùm vtramque respirationis partem est definita: quòd si efficientem respirationis caussam, si finalem, si instrumentariam inquires, has in definitione inuenies.

Est efficiens respirationis caussa partim anima, partim natura. est partim natura: cũ enim primariò fiat propter cor respiratio, originari debet à naturali illa facultate vitalium spirituũ procreatrice, quæ in corde maximè viget, quã vitalem vocãt Medici. partim etiàm est anima; cùm non possint musculi respirationi inseruiẽtes moueri, nisi à voluntaria facultate, quæ actionis necessitate stimulatur: quare mixta erit actio, eodem prorsùs modo, quo seminis excretio, ideòque optimè dixit eruditissimus *Andreas Laurentius* cùm *Nemesio* in respiratione animæ opus cùm naturæ munere cõiunctum esse, per animam animalem, & voluntariam intelligens actionem. *V*oluntas autem vel fit ab electione, vt in optimè ratiocinantibus; vel fit ab instinctu, vt in dormientibus, & brutis manifestatur. Quòd verò facultas hæc animæ voluntaria ad respirationẽ requiratur, indè colligimus, quia videmus læso cerebro, lædi & respirationem; vndè Phreniticorum magnam esse respirationem, & ex longis interuallis, innuit *Hippocrates* in prognosticis.

Extant

Extant ad huius rei confirmationem commemorabiles multorum historiæ, qui pertinaciter, & voluntariè cohibito spiritu mortem sibi consciuerunt. Seruus ille Barbarus, vt narrat *Galenus*, g cùm vehementi ira concitatus mortem sibi consciscere decreuisset, prostratus humi, respiratione que cohibita, longo quidem tempore immobilis mansit; posteà verò paulùm volutatus, emisit animam. C. Licinius Macedo vir Prætorius, repetundarum reus, dũ sententiæ dicerentur, sudario, quod fortè in manu habebat, ore, & faucibus coarctatis incluso spiritu, pœnam morte præcurrit. Coma Maximi latronum ducis frater, cùm de viribus, & conatibus fugitiuorum interrogaretur, sumpto tempore ad se colligendum caput operuit, innixusque genibus compresso spiritu inter ipsas custodum manus, inque conspectu summi Imperij mortuus est. Hæc *Valerius Maximus* h Voluntaria igitur etiam est respiratio.

g *lib. 2. de motu muscul.*

h *libro 9. cap. 12.*

In cuius finali caussa assignanda certant Auctores præcipuè veteres, quos *Galenus* i refert. *Asclepiades* enim respirationem ordinatam esse putat ad animæ generationem. *Nicarchus*, & *Praxagoras* ad animæ generationis robur. *Philiston*, & *Diocles* quos fuit sequutus *Aristoteles* K ad solam innati caloris ventilationem, ac refrigerationem. *Erasistratus* ad vacui fugam, vt aere impleantur arteriæ, cùm tantùm purum aerem in arterijs contineri, affirmasset. Nos verò relinquendo harum opinionum confutationem

i *lib. de vtil. respir. cap. 1.*

K *libr. de respirat.*

tionem *Galeno* citato, dicimus cum *Hippocrate*, *Galeno*, & Neotericis ferè omnibus, respirationem ad duplicem finem esse à natura ordinatã, ad natiuã scilicet caloris refrigerationem, & ad spiritus vtriusque animalis, ac vitalis generationem, nutritionemque.

Conseruatur natiuus calor refrigeratione, & difflatione, seu expurgatione. Refrigeratio fuit necessaria, ne cor, quod calore ingenti tamquã flamma exardescit, ob perennes motus incendio conflagraret: calor enim noster natiuus in alienum, ac febrilem degeneraret, ni refrigeraretur. Respiratio verò ex *Galeno* 1 ratione duplici cor refrigerat, in inspirationibus quidem qualitate frigida suppeditata, in exspirationibus verò, eo, quod feruet, effuso. refrigerat quidem cor inspiratio, frigidam qualitatem ei affundens. refrigerat ipsam expiratio, quod in ipso feruet, & quasi combustum, ac fuliginosum est, ex ipso profundens; quapropter duplicem habet motum contrarijs partibus constantem. attrahit enim dilatatum, inanitur contractum. hinc alium conseruationis natiui caloris modum colligo expurgatione scilicet, & difflatione fuliginum *nisi enim* (dixit *Andreas Laurentius*) *continenter expurgaretur calor, nisi vapor fumidus liberum haberet exitum, suffocaretur per oppressionem Cor, vt apparet in his qui strangulantur vt enim flamma à crasso, multoque fumo extinguitur, ità cor à vaporibus fumidis strangulatur.* Obstrepent itàque calumniatores vociferãdo nio ribun.

1 *lib. 8. de vsu partiũ cap. 2.*

bundos, frigidumque expirantes, etsi nullus, aut certè lãguidus sit eorum calor, inspirare tamẽ; tunc enim inspirant, vt expirent, quandoquidẽ ob fuliginum copiam adest expirationis necessitas. Conseruatur itàque calor natiuus respiratione, quæ fit refrigeratione, & expurgatione.

Verùm non ob hoc sólùm, ad aliud etiam est ordinata respiratio, vt diximus, ad nutritionem scilicet, generationemque vtriusque spiritus animalis, ac vitalis: etenim si horum spirituum generatio fit ex aere, & sanguine simul mixtis; si aereus est noster calor, debet aere sibi simili, & cõsociali refici. Hoc docuit *Hippocrates*, m illis verbis *principium alimenti spiritus, nares, os, pulmo, & reliqua respiratia*, & si dices cùm *Aristotele* spiritus non nutriri, nec generari substantia aeris, quia non expiraretur inspiratus, at ità copiosus exit, vt ingressus est; quod confirmes *Galeni* n auctoritate, qui *tantùm*, inquit, *exit de aere inspirato, quantùm inspiratione attrahitur*; at què adeò solam aeris qualitatem ad caloris natiui euentilationem, refrigerationemque, non autẽ spirituum generationem inseruire. Respõdeo, nec expelli totũ aerem, nec eũdem, qui inspiratur, pellitur enim vapor fumidus ex permixtione sanguinis, & aeris resultans; quod patet, quia qui excluditur aer, crassior est inspirato. sed satis de finali caussa mihi dictum videtur.

m libello de alim.

n lib. de vtilit. respirat.

Instrumenta respirationi dicata trium sunt generum ex *Galeno*, o quædam enim ad respirationis materiam sunt destinata, quædam

o libro de causs. respirat.

aerem suscipiunt, quaedam vero ex eis, ea, quae moventur, movent. Primi generis instrumenta sunt, Larynx, & aspera arteria; secundi generis, Pulmones, pectusque, & Thorax, musculi sex aglutinati quinque, quorum labij, aliij violentae, & coactae respirationi inserviunt. Principium itaque est aer, qui per os, & nares trahitur, in aere existens: ut lucati respirantibus bifariam partitus, & altera quidem minore sui parte per nares ad cerebrum defertur, altera vero majore per asperam arteriam in Pulmones deducitur, atque ipsa ad cor, organum vero ipsum respirationis Pulmo vero, velut ventriculus profundus ad materiae receptaculum est destinatus. Eius autem dilatationem, & contractionem Thorax gubernat, qui musculis movetur, & nervis de articulatur. Movens itaque illa, & voluntaria facultas a cordis decessu ante stimulata, ac illa est ira musculorum ope Thoracem simul, quadam consequutione Pulmones distendit, qui leves, rarique facile Thoracis motum sua segniore commotione excipiunt, dilatati vero necessario implentur ambiente aere per asperam arteriam; compresso autem Thorace, ipsi Pulmones remittuntur, & qui in illis superuacuus est spiritus per arteriam excluditur.

Quo autem modo fiat aeris attractio Galenus ipse nobis familiari exemplo demonstrat: *p* *Si fistulam altero orificio in aquam immittas, altero labris ipsam comprehendas, atque aerem, qui intus est, suctu extrahas, simul aquam sequi continuo*

p lib. 8. de placitis

videbis, non secus etiam, exemplificauit *Nancelius*, q infantes labiorum admotione, tùm ex papillis, tùm ex bombylijs, an gustissimi oris vasculis, qui in ipsis continetur, attrahunt. quin & ferrarij folles distenti exteriorem aerem per fistulam annexam, ad explendam distentionem attrahere cernuntur; sed non qua subit aer; eadem efflatur in follibus; contra quam in respiratione accidit: quandoquidem in animalibus distentus Thorax per asperam arteriam necessariò in os aerem exteriorem inspirando attrahit, & paulò post contractus, in expirando, per os illum eumdem exprimit, alteratum tamen, & concalefactum, ac fuliginosum, vt diximus.

q lib. 4. Analog. c. 7.

Et vt reuertamur vnde processit oratio, alterna musculorum actione respiratio completur partibus duabus absoluta inspiratione, & expiratione; Inspiratione ambiens nos aer per os, naresque in asperam irruens arteriam, ac eius ramos per Pulmonis substantiam diffusos omnemque ferè eius implet molem, adeò vt vniuersam Thoracis capacitatem inflatus, spirituque turgens Pulmo occupet. Qui tandiu aer fuerat primam in pulmone sumit elaborationem, illicque concoquitur, ac præparatur vi[illegible]nis, quæ planè tenuis est, mollis, & aerea, vt proindè huiusce operis, haud secus, ac cum hepatis caro sanguinis conficiendi caussa, maximè constructa esse videatur: non enim externus aer rudis, frigidus, impurus, ac de repente irruens fieri potest interioris spiritus conueniens pabulum

 sed

sed hunc sicuti alimenta necesse est paulatim mutari,& familiarem innato spiritui qualitatẽ longiuscula mora recipere. Post hæc autem elaboratus diligenter spiritus, in sinistrum cordis ventriculum arripitur, ex quo accedente etiam sãguinis vapore, ex dextero ventriculo promanante, vi cordis insita, eiusq; innato spiritu, ingẽtiq; caloris incendio, tãquàm in fornace spiritus procreatur vitalis, qui demùm in omne corpus per arterias effusus salutarem impertitur toti calorem. Qui ex hac concoctione fiunt torridi vapores, foràs reijciuntur, ac extruduntur, tùm cordis,& arteriarum pulsatione, tùm pulmonis expiratione.

Ex dictis quilibet, ni sensu orbatus, clarè potest inferre respirationem, & pulsum in multis cõsentire, in plerisq; dissidere. Cõueniunt quia ambo eidem inseruiũt facultati, vitali scilicet, cùm solius cordis gratia vtraq; actio sit instituta. Conueniunt, quia ambo ad eamdem finalẽ caussam acquirendam destinantur, ob eamdem triplicem necessitatem Cõueniunt deniq, quia ambo eodem constant motu diastole scilicet,& systole, ac quiete gemina. Dissident è conuerso, quia pulsus naturalis est motus, isq; continuus non interruptus, ac extrà omnem volũtatis potestatem. Respiratio est libera, & plerùmq; pro arbitrio cessat. Dissentiunt, quia efficiens pulsus caussa sola est natura, respirationis verò anima cùm natura. Dissentiunt, quia pulsus à corde fit, respiratio non à corde, sed propter cor. Dis

sentiunt

sentiunt denique, quia quinquies pulsat cor interuallo vnius respirationis.

Et hinc ad duorum problematum solutionē me transfero, an scilicet pulsus nobilior sit respiratione, & quænā maior sit necessitas respirationis, an pulsus. quoad primum dicimus, pulsū respiratione nobiliorem esse, tùm organi nobilitate, cùm sit cor, tū finis præstantia, cù respiratio ad conseruationem pulsus, tamquàm ad eius finem fuerit instituta. De secundo difficultatē proposuit *Galenus*, dùm initio *libri de vsu pulsuū* Respirationem tanto magis esse pulsu necessariā affirmarit, quantò cordis calor magis est ad vitam necessarius, quàm reliquarum partium calor: & 4. *de loc. affect. cap.* 8. scribit fieri nō posse vt animal respiratione priuatum viuat. Contrà videm⁹ viuere Hystericas, fœtus in vtero, & Apoplecticos sine respiratione, neminem autē sine pulsu, cordisque motu. Pro solutione dicimus, pulsum alium esse cordis, alium arteriarū, pulsum cordis magis ad vitam esse necessarium, quàm respirationem, secùs verò peculiarem arteriarum pulsationem: si enim vinciantur, aut intercipiātur arteriæ non interibit animal, materia enim, ac pulsus organum, cor scilicet, non deperditur; respiratione autem priuatum subitò extinguetur: perit enim materia, aer scilicet, perit euentilatio, ac refrigeratio caloris natiui, perit vtriusque spiritus animalis, vitalisque generatio, ac pabulum.

En respirationis necessitatem, en suffocationis

tionis caussam: fit respiratio, ob caloris natiui ventilationem, ob spirituum nutritionem. fit suffocatio ex respiratione intercepta.

Et quidē erat necesse suffocationem caussari ex respiratione prohibita: quandoquidem si eximia, & illustris illa rerum natura tulit, vt omnia quæ aluntur, & quæ crescunt contineant in se vim caloris sine qua neque ali possent, neque crescere: hic autem calor frigidi aeris appulsū, respirationem scilicet continenter desideret, huius defectione mox prorsus extinguitur, animantia statim suffocantur, vitam amittunt. Est vita quædam actio, aut certè non sine actione, est hæc actio vitalis, & vegetabilis, vt Medici cōmuniter sentiunt, prima est in corde, secunda in hepate, vtraque reparat quod è corpore euanescit, & absumitur: verùm quæ est in corde aereum, & igneum, quæ in iecore terreum, & aqueum. Ex his autem respirationem magis, quàm iecoris actionem facit ad vitam necessariam Galenus: est enim respiratio nutritio partis summopere necessariæ, nempè spiritualis, quæ quoniam citò dissipatur velocem expostulat reparationem, cuius defectu animal contestim moritur.

Hinc infero minimè quàm pro mortis naturalis caussa assignandam esse respirationem: cū enim siccitas ad complementum accedit, calorem innatum extinguit, & mortem subsequi naturalem, dixit *Auicenna.* est enim mors naturalis interitus per dissipationem, etsi in viridi ætate,

r *li.1.fen. 3.ta.vnic.*

f *de triū pho mort. c.1.in fine*

quam

quam describens elegantissimè vulgari sermone, sed stylo non vulgari laureatus ille *Petrarcha* cecinit,

Non come fiamma che per forza è spenta,
Ma che per se medesma si consume,
Se n'andò in pace l'anima contenta,
A guisa d'un soaue, e chiaro lume
Cui nutrimento a poco, a poco manca,
Tenendo al fin il suo usato costume.

non erit igitur mortis naturalis caussa prohibita respiratio, sed præter naturam; vt enim flamma Medicis cucurbitulis, aut angusto conclaui coercita marcescit, ità & cùm animanti fauces precluduntur, obturanturque omnia cutis spiracula, quàm mox caloris sequi extinctionem, & animantis præfocationem, docuit *Galenus*,[t] hæc autem faucium præclusio nonnisi ex præternaturali, aut saltem connaturali caussa potest haberi. huiusmodi caussa triplex statuitur, refrigerationis prohibitio, idonei pabuli defectus, & offusi aeris inopia, in quem fumosa ignis, calorisque excrementa pelluntur, aut erumpunt; his enim tribus de caussis consequitur caloris interitus, ac extinctio, animantium suffocatio; quandoquidem his trium contrariarum adminiculis ex necessitate indiget, animantia in vita conseruantur: ideò enim moderatus calor, qui nos regit, languet, & extabescit in balneis, in caldarijs, & in æstu vehementi, quia frigoris occursatione nequaquàm reficitur. tunc etenim virium infirmitate tentamur, & affligimur, in

tabe-

[t] *lib. de vtil. respir. cap. 3.*

tabescimus, ac ad extremum vitæ ducimur, cũ qui nos circumplectitur æstus, immoderatus est, haud secùs calorem nostrum, atque lucernę flammam foràs euocat, prorsùsque dispergit, nihil aut certè per quàm exiguum relinquens. contrà frigus moderatum, & æquabile non minùs flammam, quàm natiuũ continet calorẽ, & à dissipatione tutatur. (etsi nõ negauerim immensũ, ac immodicũ frigus si diù, multũq; adest flammam, & calorem ad materiam intrò reprimentem, non secùs ac aduersum calorem vitam eripere.)

Neque ob id solùm nos ambiens calor nostrum lædit corpus, quia interiorem nostrum dissipat calorem, verùm hinc etiam, quod neutiquàm refrigeret, imò cor, & interiora viscera magis, ac magis inflammando propriam illorũ consumit substantiam, ac in perniciem ducit. eadem ex caussa in pauco, eodemque aere continenter, & assiduè versati suffocamur, sicut in aqua modica pisces; quandoquidem exiguus aer reddito spiritu facilè concalescit, vnde nequeat refrigerationis auxiliũ præstare; quin etiam motio vehementior, non secùs ac æstus, aut balnea, innatum diffundit calorem, absumitque; moderata hunc conseruat, ac exsuscitat, quies autem sopit, & ignauum, inertemque reddit. sic videmus mediocrem ventilationem flammam augere, nimiam dissoluere.

Cęterùm non extinguitur quis, occiditque in balneis, & in solis ardoribus quia deest alimen-

tum,

tum, sed quia frigoris appulsu non recreatur; quemadmodùm autem respirationis maior iniecta corpori necessitas est, quã trãspirationis, ità hausti frigoris commoditas maior est, quã nos vndiq; cingentis. hinc fit, vt qui ex æstu, ac balneis calidum aerem spiritu trahunt, etiam si reliquum corpus frigido aere circumfunditur, celeriùs extinguantur, & intereant, quàm qui in hypocausto constituti ore, naribusque frigidum ducunt aerem.

Verũ non solũ refrigerationis defectio, sed eius maximè pabuli inopia impedit substãtiæ caloris cõseruationẽ: sic videmus ob alimoniæ egestatẽ illũ vitã deperdere, cui os, & nares, vel fauces præcluduntur, ꝙ clarè patet in corporib' in aqua demersis: mox enim suffocãtur, pereũtq; ni aere, & respiratione iuuẽtur, nõ quia à refrigeratione, sed quia ab idoneo caloris, spiritusq; alimẽto sint destituta. idẽ etiã patet in strãgulatis, cũ strãgulatio nõ sit aliud per *Galenũ*, u nisi interit' subitus ꝑpter inspirationis defectũ, qui fit ex angustia alicuius instrumẽti ex ijs, quæ obseruiũt respirationi. idẽ obseruatur in tumorib' musculorũ, fauciũ, laryngis, glandularũ, & columellæ, qui fauces occludunt, aerisque impediunt transitum. Potest denique quis aere pro respiratione indigere, cùm ei obstruitur à re quacumque asperæ arteriæ caput, seù rimula illa, per quam aer ingreditur. licet hoc non de facili succedat, cùm natura ob imminẽs summum periculum per tussim magno

u *4. apho. 34. in cõmen.*

O cona-

conatu omnia talia excutere conetur; tamen si res ipsa pertinaciter, & fixè rimulæ illæ inhereant, suffocationem inducunt. sic Tarquiniũ Priscum ab osse piscis transuersum gutturi adhærente, sic Anacreontem Teium Poetam 85. ætatis anno passæ vuæ acino. sic denique Hadrianum Pontificem à musca in fauces inuolãte suffocatũesse, historiæ referunt; aliosq; ficu, pyro, pilula, infantes quosdã nũmis, seu alijs rebus deglutitis suffocatos esse, ex historijs patet.

Tertia demùm suffocationis caussa est fuliginum euentilationis interceptio: cùm enim quis plurimùm attractum aërem, illumque frigidum sic pulmonibus comprehendet, vt nihil deindè illius expiret, eum profectò tandèm extingui, & è vita discedere est necesse, non alimẽti penuria, cùm sit sufficiens, imò abundans; nõ respiratione prohibita, quia scilicet frigidus haustus aer pulmones, & cor immodicè refrigerauit, sed quia fumosa insiti caloris, spiritusquè superuacanea non redduntur: atque adeò vt flamma à crasso, multoque fumo, ita cor ab illis immoderatè congestis opprimitur, atque strangulatur. sic videmus ità grauiter, vehemẽterque afflictos exspiratione alleuari, recreariquè, eamque esse illis vnicam medicinam, quæ suffocantes halitus, atque fumos eijcit.

Has tres caussas ad insiti caloris, ac ad omnium terrenorum animantium custodiam condonatas, ambiens nos aer in se vnum continet, si & qualitate, & substantia mediocritatem quã-

dam

dam acceperit. Possunt autem hæ tres caussæ, vel ex interno aliquo vitio prouenire, vel ex externo. Ex interno prouenientes, afferunt *Auicenna*, x & *Mercurialis*, y quas, cùm non sint nostri instituti, recensere non tentabimus, cùm tantùm de violenta, & externa suffocatione sit nobis agendum, vt veram differẽtiam illorum, qui suffocati interiere, assignemus, tres verò assignatæ suffocationis caussæ, quæ externa aliqua violentia conficiuntur, vel submersione habentur, vel violenta oris, nariumq; occlusione, aut laqueo, vel calidissimi, atque alieni aeris inspiratione, quarum singulas perpendere non erit abs re.

x *fẽ. 9. lib. 3. cap. 8.*
y *4. aphor. 34.*

Suffocantur, qui submerguntur, quia spirandi facultatem amittunt: impeditur enim eorũ pulmonum motus, cùm aqua eorum prohibeat exspirationem, quamuis enim sit ad natiui caloris tutelam frigidi spiratio, frigidum tamen illud non potest esse aqua in sanguineis, perfectisque animalibus, sed aer, quo, cùm rarus sit, & fungosus, pulmo confertim, & subitò, dùm distenditur thorax, impleri debet, ne detur vacuum; fertur autem momento aer, non aqua, quasi calidissimum cor celeri eget refrigeratione, aer ob tenuitatem facillimè cuncta permeat spiracula, quod aqua præstare non potest; aer omni ex parte nos ambit, ac circumplectitur, secùs aqua, cùm in aquis non immoremur; aer pulmones implens eos ad motum leuiores reddit, aqua pulmones implens, eorum præpedit

motum;aer vt citò inspiratur,ità & facilè expiratur;aquam haurimus quidem celerrimè, sed eam expirare non licet. Spiratur ergò commodiùs aer,quàm aqua à sanguineis,perfectisque animalibus: dixi sanguineis,perfectisq; animalibus: quandoquidem aquatilia,& frigidiora, nō aer,sed aquæ humor tuetur,vt qui refrigerationis vsum, & cōmoditatem illis suppeditat, nisi cùm immodicè exardescens robur eorum adimit,omnibusq;orbat viribus;ab aqua nonnihil etiam vaporis,& halitus pro caloris, spiritusq; pabulo trahunt, in quem commodè fumosa caloris superuacanea depellunt,quod ex animantium innati caloris varietate prouenit:cũ enim in terrenis animantibus multo sanguine, eoq; puriore præditis, copiosus,& vberrimus sit vitæ calor,celeri quidem,& prompta,vt diximus refrigeratione,atq; nutritione indiget, quæ sanè omnia aer facilè confert, quia leuitate subtili celeriter in omne corpus penetrat, moxq; partibus singulis præsens est,& obuius. At verò pisces,quibus multò minùs,tùm caloris, tùm sanguinis inest, cùm non æquè subitò tantùm refrigerij desiderent, solius aquæ contagione, appulsuque satis commodè substinētur;minimo calore, sanguineq; sunt à natura dotati pisces cũ non pulmonibus,sed bronchijs constēt.

Suffocantur animantia violenta oris, nariũquè occlusione, aut laqueo. impeditur enim aeris transitus, qui, vt diximus, per nares, os, laryngem, & asperam arteriam in pulmones

nes irruens, pro respirationis materia inseruiebat. Suffocantur deniq; calidissimi, atq; alieni aeris inspiratione, nàm, vt diximus, huiusmodi respiratione calor natiuus non potest conseruari; conseruatur autem ex ventilatione principij ipsius insiti caloris, & ex moderata refrigeratione, ac ex defluxione eius, quod fumosum est.

Habita igitur suffocationis caussæ notitia, solùm remanet suffocationis ex mari, vel ex alia caussa signa afferre, ac examinare, vt certè possimus cognoscere ab vndis occisum animal, ac ab alia caussa externa.

Si enim cadaueri tota aluus aqua contenta intumescat, è naribus muccosa quædam excrementa prodeant, ab ore defluant spumosa, extremi digiti detriti, ac excoriati sint, eũ viuum ab vndis suffocatum esse tutò affirmare possumus; è contrà mortuũ in aqua esse pręcipitatũ si nihil tumebit aluus, nihilq; ipsi circà os, naresue apparebit, demùm si summi digiti excoriati non visentur. Corpus etenim viuum in aquis præcipitatum, dùm cœcis errans in vndis, & vultus obruit aqua suos, dùm opprimit illius animam fluctus, frustràque præcans ore necaturas accipit aquas, dùm in immenso iactatur ponto, & ventis agitur, videtque mortem, quæ antè oculos dira vagatur; quærit lethi sibi miserum fugam, aliquid quærit, cui hærere possit, fluctus secare, quod non inueniens, tamquàm furens, in ima arena luctatũ, ac suffodiẽs

effu-

effugium contendens, id tandem miserum mergit Fata profundo: ideòque ea parte laceri digiti deficiunt, quæ signa maiora apparebũt in muliebri cadauere: quandoquidem, vt ex *Nancelio* z habemus, mulieres fluminibus, aut mari demersæ, diutiùs supernatant, & tardiùs suffocantur; qui quidem auctor testatur se nouisse Domisellam, quæ secundo Ligeri per binas, aut ternas leucas, gestans in vlnis infantem, superuecta, sospes enatauit. hic non desinam non afferre, id quod *Plinius* a innuit, virorum nimirùm cadauera supina fluitare, fæminarum prona, velut pudori defunctorũ parcente natura, quod quidem nonnisi modestiæ cuidam naturali, atque insitæ verecundiæ adscribendũ censeo, expendens, naturam ab oculis aspectantium eas partes suffocatæ fæminæ auertere, quas ipsamet voluit occultari, cùm fæminei cadaueris in mari venter fluitans, ac fluctuans, tergus autem, & humeri ad cœlum, hominũq; obtutum conuersi deprehendantur. E contra mortuo in aquam præcipitato, nihil tumebit aluus, quia mortuo ductus omnes, corporisque meatus comprimuntur, subsiduntque: quia verò mortuus non spirat, non ipsi circà os, nares ue spumeum quidquam apparebit; multò verò minùs summi digiti excoriati visentur, mortuus enim iàm cùm morte non colluctabitur.

z lib. 8. Analog. c. 76. sed Theolog.

a lib. 7. capit. 17.

Quòd verò ad submersorum cadauera spectat, quæ aquæ innatant tumida, tumorem illum habent non ab aqua hausta, aut alio contenta,

tenta, sed à vapore in quem humores à putrido calore conuersi sunt:ideòque hic tumor nõ apparet in omnibus, qui mortui in aquas præcipites sunt dati, sed in ijs tantùm, qui situ, ac humiditate aquæ corrupti longo tandèm post præcipitium tempore apparent, & in littus eijciuntur.

Cæterum siquis curiosus reliquorum suffocationis generum signa velit dignoscere, ea breuiter hic adducam. Aliud suffocationis genus diximus esse violenta oris, nariumque occlusio vel laqueum, huiusmodi his signis dignosces. Ei etenim cui inspirationis vsus intercipitur spuma prodit ex ore. siquidem fuliginosi excrementi expiratio aut laqueo, aut aliter intercepta, tota violenter impellitur; quo fit vt pars propriæ humiditatis vna expellatur eo modo, quo fieri in sanguinis eductionibus obseruamus.

At si alicuius animæ laqueo sit via clausa, in hoc præterea funis apparebunt vestigia in ceruicis, iugulique circumferentia relicta rubra, liuentia, aut nigricantia, cutisque circum contracta, ac rugosa, propter eam, quam funis fecerat compressionem; sæpè contritum est caput asperæ arteriæ, ac lacerum, & secunda ceruicis vertebra luxata, seù loco suo mota; liuebunt etiam bracchia, & crura, totaque facies propter spirituum subitam, & confertam suffocationem, sed & spuma circà os apparebit, & muccus spumeus è naribus exiliens, eò transmissus, tùm per pulmonis subitò incalescentis, ac suffo

cati

cati expressionem, tùm per conuulsionem cerebri, tamquàm concussionem epilepticæ simi lem; Rursus qui strangulantur, ac suffocantur vehementer intumescunt, ac propterea nonnulli ex antiquis Patribus scripsere perfidum illum Iscariotem, primum Christiani nominis, ac numinis hostem Domini & sui, & nostri pro ditorem, post mortem, quam manu propria ini ecto in collum laqueo, sibi dedit, intumuisse, vt caput ipsius dolium æquaret; & quia in ea ingenti strangulatus vi omnes corporis expulsiuæ facultates laborant, atque per omnes partes sanguinem, succosque alios, & flatus diffundunt, ideòque ea maculantur, quæ latiora, & capaciora habent vasa, veluti dorsum, vultus, pectus, atque alia huiusmodi.

b *lib. 1. de plac. c. 5.*

Aliud denique strangulationis signum affert *Galenus*, b quod etsi non omnibus, plerisque tamen potest accidere *posset etiam*, inquit, *quandoque laqueo suffocato animali fieri, vt ex nimia violentia vas aliquod eorum, quæ in cerebro sunt rumpatur.* Quod si quis nō laqueo, sed mortuus suspensus fuerit, omnia hæc nō apparebunt: cū ne funis quidem circà collum vestigium rubrū, aut liuens appareat, sed simili planè cū reliquis corporis partibus colore, quia mortuis nō iàm sanguis, aut spiritus ad partes læsas confluunt, migrantque.

Eadem prorsùs ratione dignoscetur infans, an ex Nutricis defectu suffocatus, an ex aliqua interna caussa interierit: nàm si anteà perbelle habe-

habebat infans, si querulus non erat, si os, & nares tunc ipsi mortuo spuma turgida madeāt, si facies non quidē pallet, sed violacei, & tāquā purpurei est coloris, si mox dissecto, pulmones spuma velut vaporulenta turgeant reliquis visceribus sanis, suffocati, & strāgulati impetu aliquo externo infantis est argumentum.

De his verò, qui calida, ac suffocāte inspiratione extinguūtur, quales hi sunt, qui in cubiculo iacent recens calce, aut gypso inuncto, siquidē intùs ignis occludatur, aut vbi etiā accensi carbones, nec halitu euaporato includuntur: quales etiā, qui in barathris, ac fetidis cauernis, puteisq; aut in magnis etiā foueis steterit, vbi asseruari triticū solet, nullū, præter cōmune spumę signum assignari potest, quod omnes suffocati præ se ferunt, quāuis nō habeant tumorē in pectore, nec vrinæ profusionē, nec reliqua aliorū suffocationis generū signa, cū reuera minùs violenta mors istis obtingit, quàm quibus laqueo collum torquetur, aut quibus os, ac nares occluduntur. Ex quibus omnibus clarè patet, & inferri potest, quænā sint suffocationis signa, & modus, quo nos ad illa cognoscenda ducamur. Id reliquū est, vt vos de more humanitatis vestræ beneficiū, errores, si qui sunt, excusando, in me conferatis; quod & mentē, quam omnes de vestra omnium benignitate, ferunt, cōfirmabit, & perpetuò in vos deuotionis vinculo me obligabit, quod nulla vnquàm soluet ætas, & temporum vicissitudo. Dixi.

An Oculorum Auriumq; Morbis Hypocausta Conueniant.

DISCEPTAT. SEXTA.



CVLORVM, Auriumque species,& compositio,quàm vtilis, quàm decens sit enarrari non potest, nàm præter admirabiles illos vsus communiter illis tributos, videndi nimirũ, & audiendi,ad disciplinas omnes capessendas ex *Philosopho* a summoperè cõferunt;qua quidem in re ità excellunt,vt non desint, qui horum sensuum necessitatem in scientijs adipiscendis considerantes, æqualem illis præstantiam,ac vtilitatem tribuentes,quæstionem proponant, quinam visus, aut auditus sit præstantior, soluantque parem illis deberi dignitatem, ac æqualem vtilitatem. Et quidem nõ immeritò,horũ enim iuuamẽ si considerare velimus,affirmare erit necesse; sensoria hæc ad excipiendam artem, sapientiam, & scientiam esse accommodatiora;Oculus inuentione sua atque industria,Auris aliorum opera, ac cõmunicatione,ille per se,hæc quasi per accidens,iuxtà *Stoici Hieroclis* verba *duobus*, inquit,*modis re-*

a libro 1. post. 1. lib. 1. metaph. c. 1. lib. de sensu, & sensili c. 1.

rum

rum peritiam sumimus, aut per doctrinam auditu, aut per inuentionem maspe ctu. ità vt rectè conquæratur *Pythagoras* in *aureo carmine* de illis, qui duobus his sensorijs, quæ tanti faciunt ad felicitatem capessendam abutuntur, exclametq; *Miseri, qui bona, quæ vicina sunt, non vident, neque audent.* plura possem circà hoc dicere, N, at ne à nostro instituto recedamus ad oculorum, auriumque naturam perscrutādam reuertamur, vt faciliùs propositam soluamus Disceptationem. Ità assimilantur sensoria hęc in compositione, vt non sit mirum, si eorumdem affectionibus, an idem competat præsidium propo nam. nàm si visionis organum varijs coagmentatur particulis, musculis, tunicis, humoribus, neruis, arterijs, & venis sic & auditus organū varijs etiā particulis, labyrinthis, coclea, fenestrellis, tympano, aquæ ductibus, & ossiculis tribus, miro artificio cōponitur; vndè rectè dixit *Galenus b quam habet humor crystallinus in oculo rationem, hanc habet in auribus audiendi meatus externus, vbi neruo coniungitur.* ideòque harum particularum anatomen breuiter inuestigare summoperè necessarium esse existimo, vt indè quibus morbis affici possint, quibusque præsidijs curari deducamus.

b *lib. 1. de symp. causs. c. 6.*

Et vt ab oculis initium sumamus, est sciendū ex *Andrea Laurentio c* inter primates Medicos celeberrimo, totum oculi corpus musculis sex, tunicis sex, tribus humoribus, duobus neruis, venis, arteriolisque quamplurimis, ac adipe co-

c *lib. 11. cap. 5.*

pioſo conſtitui. Ex muſculis, quatuor motibus rectis inſeruiūt, duo obliquis. Rectorum, vnus mouet ſurſum eleuando oculos, ſecundus deorſum deprimendo, tertius trahit oculum ad dexterum, ſiue maiorem angulum, quartus ad ſiniſtrum, ſiue minorem: primus attollens, & ſuperbus dicitur, ſecundus deprimens, & humilis, tertius adducens, & bibitorius, quartus abducens, & indignatorius. Conueniunt quatuor hi muſculi in ſtructura, & in ortu, ſiue principio, cùm ab vno ferè, eodemque principio oriantur, ab interiori nimirū, & profundiori orbita ex Sphenoides portiuncula emanante. hinc adnatæ tunicæ lato ſatis, neruoſoque inſeruntur tendine etſi in varias partes, cùm verò quatuor hi muſculi omnes agunt, intrà oculum trahunt, ſiſtūtque. Obliqui verò circumagunt, mouentque oculum obliquè primus ſurſum, ſecundus deorſum; prior qui cùm ſuperioribus quatuor ab interiori orbita emanat, dùm intrò ad principium adducitur, corda ſua gracili, ac circulari quodam motu oculum ad maiorem verſat angulum. poſterior ab interiori angulo, & ab carima, quæ duo maxillæ oſſa iungit, emanans, ad exteriorem, minoremque angulum tranſuerſim mouet. Muſculi hi obliqui etiàm ſua ſortiuntur nomina: dicuntur enim circumagentes, circulares, & amatorij, quòd ſint velut in amore duces. his autem omnibus ſex muſculis ſimul operantibus, ac villos intendentibus ſiſtitur, & firmatur oculus, qui quidèm mo-

tus

tus Tonicus à Medicis dicitur. non enim habetur Tonicus motus in homine per se primum musculum, neruum opticum ambientem, vt sentiunt nonnulli ex Anatomicis cùm *Galeno*, & *Vessallio*: etenim hic musculus numquàm in homine, sed in quadrupedibus tantùm; quæ prona terram spectant, inuenitur, ne oculus exorbitet.

Habita igitùr musculorum rudi aliqua notitia ad oculorum tunicas accedamus, quæ vt diximus cùm *Andrea Laurentio*, sex sunt. Prima est illa, quę à latinis adnata, siue cohęrẽs, à barbaris coniunctiua dicitur, ab alijs alba, ab *Alexandro Benedicto* funda. dicitur coniunctiua ab eius officio, alligat enim, & coniungit oculum cranio, vicinisque partibus. dicitur alba à colore; extrinsecùs enim candida est, & callosa. dicitur funda, vel quia venulis constans, arteriolisque quam plurimis fundæ assimilatur, vel quia non in totum est orbiculata instar fundæ, qua lapides fūnduntur. à pericranio hæc ortum ducit, nec totum circumdat oculum, sed in parte anteriori ad orbicularem lineam tantùmmodò fertur. Defendit hæc tunica oculum ab ossium duritie, annectit oculum capiti ne in maximis motionibus à propria sede dimoueatur, oculi demùm musculos proprijs firmat sedibus.

Secũda Tunica dicitur cornea, vel corniformis, & dura sumpta similitudine à pellucido colore, duri-

duritieque, ac substantia cornu, vel vt sensit *Russus* à fibris, & laminulis quibus cōstat cornu, in quæ frustulatim hęc tunica resoluitur. hæc à dura membrana nerui optici ducit originem, totum inuoluens oculum: (eius enim vsus est tenuiores tunicas, humoresque omnes complecti) sola omnibus iniurijs exposita, fumi, & pulueris, frigoris, & æstus, contundentium, atque incidentium incursus excipit, atque innata duritie (crystallini humoris verum propugnaculum) quantùm potest retundit, propulsatque.

Tertia Tunica à tenui membrana nerui optici demissa, huius pariter retinet naturam. Rhagoides à Græcis dicitur, & Choroides, à latinis Vuea, siue Vuiformis, vel Secundina, à similitudine illius membranæ fętus, quæ Chorion appellatur, siue secundinarum ob multa implexa vascula, aut acini vuæ corij, ac pelliculæ cui pedunculus sit ademptus, vt *Herophilus* olim referebat. eius substantia est tenuis, licet crassior quàm in cerebro; hęc totum humorem aqueū, neruumque opticum circumplexa, sub cornea locatur, vniuersum ambit oculum, & solùm versùs anteriorem partem aliquantulùm comprimitur, ac perforatur, quod vueæ foramen, latinis pupilla, pupula, nigrum oculi, fenestra oculi dicitur. Hæc autem vna præcipuè (non autem humores, vt putauit *Aristoteles*) tunica vuea colores oculorum effingit varios, nigra est, & fusca in anteriori sui parte, quæ aqueum.

& cryſtallinum reſpicit humores,atque pro diuerſa cerebri,&oculorum temperie,cœſia,aut cærulea aliquandò apparet; intùs verò primũ ſubalba,mox viridis,deindè cęrulea.à qua colorum varietate Iris dicitur per analogiam cæleſtis arcus.quod ſi vueæ vſus dignoſcere velimus tres ſunt, primus tueri cryſtallinum à corneæ duritie, ſecundus præbere alimentum reticulari tunicę,& corneæ,tertius colore nigro ſplẽdorem colligere, atque ad pupillam tranſmittere.

Quarta à tenui membrana etiam exorta, quia araneolarũ telas,& texta imitatur, Arachnoides,& Aranea dicitur; cryſtallinũ ambit humorem, inuoluitque immediatè; ideòque ne ſua craſſitie viſionem impediret tenuis eſt, & pellucida, atque adeò vniuerſæ anteriori ſedi cryſtallini humoris, inſtar tenuiſſimæ cœparũ pelliculæ,ac velut ſemiglobulus obtenditur.

Quinta à ſimilitudine retis Amphibliſtroides,hoc eſt,Reticularis,ſeùRetina vocatur.oritur ab interna ſubſtantia nerui optici, imò nil eſt aliud, quàm nerui optici ſubſtantia ad modum membranæ dilatata, mollis,rara, atque pertuſa effuſa,& ſinuata naſſæ in modum ; eius vſus eſt, vt per eam ſpiritus deſcendant.

Sexta demùm paucis recentioribus obſeruata tunica vitrea dicitur ambit enim ex omni parte vitreum humorem,in cuius medio ciliare apparet interſtitium cilij figuram referens.

Poſt omnes tunicas ſtatim occcurrunt humores

mores, qui tres sunt, quorum vnum reliquorũ omnium præstantissimum, veteres illi physici, qui omnia noscere, & proprijs nominibus appellare studuerunt, Crystallinum, à similitudine crystalli albi, clari, & splendidi. (quo faciliùs à coloribus externis, & luce illustretur, atque immutetur.) vel glacialem, pari ratione, ac similitudine (quamquàm duritie vtrique multũ cedit) denominarunt. Hic autem humor crystallinus primum habetur ab omnibus, ac præcipuum videndi instrumentum, cui natura ob dignitatem situm in medio, atq; intimo recessu prouidit, tùm vt esset ab õni iniuria tutior, tùm vt à circumstantibus partibus, velut ministris, mutuas ad nutum, & imperium exciperet operas. Cuius & forma, & color actioni mirificè respondent: quandoquidem quod in anteriori parte, ipsoque orbe, ac circulo, vndequaq; sphœricam præ se fert figuram, præterquàm in anteriori parte, in qua aliquantulum planã, depressam, & latiusculam formam sortitur, lenti, siue lenticulæ, legumini scilicet haud absimilem; vndè & lenticularis ab *Aetio*, nonnullisque alijs vocatur; quod quidem fit, ne violento motu, ictu, perturbatione, aut plaga, à vitreo humore (à quo postposito alitur, & fouetur) citò aut facilè diuelli, exturbariq; queat; Et quo incumbentes Iridi circulos firmiùs contineat, & quo perceptas sub pluribus angulis rerum visibilium, atq; obiectarum formas faciliùs apprehendat, conseruetque, tùm deniqué ne vel mi-

nutis-

minutissima corpora, aut etiam atomi huius acię vanescendo effugiant. Color autem diaphanus, ac pellucidus aptissimus est recipiendis rerum formis.

Secundus humor vergens intrò ad cerebrũ, vitreus, à similitudine vitri fusi, & frigidi denominatur, qui tantò à crystallino humore in albedine, & puritate vincitur, quantò crassior est sanguine, & candidior. Collocatur hic humor à tergo humoris crystallini, atque adeò vt illum admitteret in medio concauus est. Cõtinet hic humor visiles spiritus ad crystallini illustrationem, illumque defendit à membranarum duritie, atq; alimẽtũ crystallino præparat: sãguine enim ali omninò nefas fuit, ne contracto inde cruento colore, omnia visa rubra, & sanguinea, ac velut minij, aut sandycis, sandarachæve colore infecta mentirentur.

Tertius demum humor versus exteriora crystallino oppositus, retrò pupillam latens, atq; id spatij totum inter vtrumq;, & inter vueam atq; corneam in anteriori parte, medium sua mole complens, simulq; cùm admixto (ne rugæ vllæ visum impediant, oculũve deformẽt) tenui, multoq; spiritu distendens, velut Ouiformis, aut sanè albugineus, quod ouum nõ totũ, sed eius albumen colore, & consistentia licet liquidiori referat, vocitatur: Idem verò sæpiùs, & aptiùs Aqueus ob consistentiam vtcumque aquæ similem pellucentis, & crassescentis denominatur: eius vsus est ne in parte anteriori cry-

ftallinus lædéretur à circumdantibus tunicis, vt externi luminis vis in eo frangeretur, vt in eo lumen externum cùm interno vniretur, deniq; vt fuo madore vicinas tunicas, humoremq: cryftallinum humectaret.

Præter hęc quæ dicta funt reperiuntur in oculis nerui duo, alter qui inferuit ad vifionem à prima coniugatione fcaturiens, & dicitur opticus; alter neruus fecundæ coniugationis defcendit ad mufculos pro motu.

Reperiuntur etiam in oculis Venæ, Arteriæ, Glandulæ, & copiofus Adeps. Adeps copiofus ne affiduis motionibus oculus exiccaretur, & inflammaretur, ac vt fuo calore oculum à frigiditate defenderet, propterea *Philofophus* oculos numquàm rigere dixit in *Problematibus*. Reperiuntur glandulæ, fiue exiguæ carũculæ, quæ collocantur in angulo maiori cuiufque oculi, vt, velut tot fpongiæ, excrementa in cerebro delapfa ad oculos fufcipiant, deindè per compreffionem exprimerent, & fic fluunt lachrymæ; atque vt fua humiditate oculum irrorarẽt. Reperiuntur arteriæ à carotidibus arterijs ortum ducentes vitalem fpiritum, caloremque influentem deferentes. Reperiuntur denique venæ pro oculorum nutritione, quæ à iugularibus venis oriuntur.

Poffem hic examainare partes, quæ, etfi non ad vifionem, ad eius tamen tutelam funt deftinatæ, vt palpebras, cilia, & fupercilia; verũ quia horum confideratio non facit ad nos, ne tedio-

fus

sus videar, omitto, & ad auditus organi partes examinandas accedo, quæ non minùs, ac in visu plurimæ sunt.

Situatur auris interna, quæ verum est auditus organum in osse petroso (est enim in capite os ad tempora situm, quòd ob eximiam duritiē non dissimilis naturæ ab Ostracis, & testis concharum petrosum, vel lapidosum dixerunt, ꝙ quidem os protensis lamboides suturæ finibus terminatur, & in eo sagittalis processus inest) in quo statim conspicitur obuius aditus, semperque patens, qui auditorius dicitur, tortuosus obliquus, rotūdus, angustus; tortuosus quidem, ne aer externus subitò pro temporum varietate membranā lædat; obliquus, vt percussus aer in illo anfractu retentus colligatur, & quodāmodò alteretur, sicq; fractior, ac temperatior ad intima penetrat; rotundus, vt plùs aeris cōtineat; angustus, vt bestiolarum, & paruorum corpusculorum, quæ molestant, ingressum prohibeat. fertur autē sursùm tortuosus hic meatus paruus, obliquus, & angustus, vt si quid extraneum ingressum sit, faciliùs elabatur.

In huius meatus finibus, quoddam conspicitur velut septum diuidens primam à secunda cauitate; hoc septū est membranosum, tenue, densum, siccū, pellucidum, & exquisitissimi sensus, quod, quia instar tympani tenditur, tympanum dicitur; vt sonum, externumque aerem faciliùs admittat, est tenue; vt externis obsistat iniurijs, est densum; vt meliùs personet, est sic-

cum; quod describens *Hippocrates*, ait *pellicula in ore iuxtà os durum tenuis est, velut aranearum tela, & omnium pellicularum siccissima. quod autem id, quod siccissimum est, maximè resonet, multa signa sunt.* Oritur tympanum à dura meninge; situatur tamen obliquè, ne ab aere externo, externisquè corpusculis rectò motu lædatur.

Post tympanum statim sequitur secunda cauitas, siue secundus meatus, qui ab *Aristotele* cochlea, ab alijs Peluim dicitur, in quo aer innatus, & vernaculus ambienti consocialis continetur. In hac secunda cauitate plura obseruauit recens Anatomia, ab antiquis numquàm notata. obseruauit enim ossicula tria, quæ à forma potiùs, quàm ab officio, vsuq; Stapes, Incus, & Malleus denominantur. Non dearticulantur inter se, vt ossa alia, hæc ossicula, sed cum tympano alligantur cordæ cuiusdam ope, quæ iuxtà tympani mensuram extenditur, quæ ità est tenuissima, vt quidnam sit, neruus ne, an arteria, an vena dubitetur. tria hæc ossicula tangit quidam neruus quintæ coniugationis, vt horũ organorũ naturalis contiguitas seruetur; ideò hoc artificio sunt facta ossicula, vt pulsationi inseruiant, fintq; auditus organũ hoc pacto, vt aer externus tympanũ percutiat, tympanũ, malleũ, malleus, incudem, incus stapedem moueat, atq; alteratus vernaculus aer ad neruũ relatum quintæ coniugationis, qui auditorius dicitur, imagines soni traijcere debet. hic enim est ille neruus, qui sonorũ omniũ imagines ad sensum

com-

communem tãquàm iudicem, & censorem ve-
hit; quod primus omnium animaduertit do-
ctissimus, & nũquàm satis laudatus *Philippus In-
grassia* Panormitanus ciuis, ac Regni Siciliæ Ar-
chiater cuius nũquàm fama morietur. Consti-
tuit etiàm recens Anatomicorũ schola in hac
secũda cauitate duo exigua foramina, quæ fene-
strellæ etiã dicũtur; quarũ superior oualis dici-
tur, inferior caret nomine, quæ foramina à par-
uo quodã tuberculo diuisa delationi aeris inser-
uiunt. Constituit deniq; canaliculũ quemdam
in palatũ tendentem ad aeris vernaculi expur
gationem. hic canaliculus est cartilagineus, &
quamdam habet pelliculã valuulæ instar, per
quam permittit excrementa descendere in pa
latum, non tamen in aurem retrocedere.

Post secũdam tertia sequitur cauitas, quã la-
byrinthũ vocant, mira sagacitate à Conditore
Deo effecta, vt sonus transiens per anfractuosos
illos ductus fiat acutior. Quarta deniq; cauitas
reperitur, quæ à quibusdã vocatur cœcũ fora-
men, à Fallopio Cochlea, quod Testæ Cochleæ
similis sit. Essent hic aliæ partes examinandæ,
vt Glãdulę, Auricula, Cochlea, Aluearium, Lobes,
& similia, quę quia inseruiũt potiùs ad faciei or
natũ, quàm ad auditũ, atq; adeò non cadũt sub
Disceptatione, omitto. de quibus tamen omni-
bus fusiùs dissererem, nisi eruditissimus Doctor
Andreas Vitranus Panormitanus, ac Panormi
publicus Anathomes Professor, qui noua, ac mi
rabili methodo sub aphoristica doctrina Medi

cinam

cinam illustrat, de illis ageret, cuius scripta cõsulite, si hac de re doctissimas præceptiones percupitis. Habita igitùr breui notitia partiũ ad vtriusq; organum visus, & auditus inseruiētium, ad morbos quibus affici possunt, deuenire est necesse, vt indè an, & quibus organorum horũ affectionibus hypocausta conueniant, determinemus. atque vt cùm prædicto ordine procedamus ad morbos oculorum primarios conscendam, & eos, ex quorum cognitione cognitio aliorum comparatur: si enim innumeros, quos solent Medici afferre, numerare velimus, in longum protraheretur Oratio.

Adnatæ, siue cohęrentis tunicæ affectus sunt Taraxis, Chimosis, & Pterygion; Taraxis est leuis quædam tunicæ inflammatio, ac veluti inflammationis præludium cùm dolore exiguo, ac miti, quam non solùm à caussis externis vt sole, fumo, puluere, & oleo, sed etiam à caussa interna fieri volunt plerique, vt ex vitio ventriculi post nimiã potionẽ, & similibus. Chimosis, siue Phimosis, siue Opthalmia magna, magna est eiusdem tunicæ inflãmatio, adeò vt vtraq; palpebra præ inflãmatione peruertatur, vt oculi vix aperiãtur. Pterygion deniq; est oculi Vngula, seù neruosa quędã adnatę tunicę excrescẽtia, à maiori angulo vt plurimùm orta, oculum magnitudine, varijs colorib⁹, duritie, aut mollite oblædẽs. Corneæ verò Tunicę affectiones sũt Phlictenæ, siue Vesicæ, Hypopyon, & Carcinoma; sunt enim in cornea tunica exiguæ quædam

pustulæ,veluti quædam bullæ supra ipsam eminentes,Phlictenæ à Græcis dictæ,Vesicæ ab *Auicenna*,quæ variè denominantur,pro vt variè succrescet morbus. Hypopyon est quandò pus sub eadem cornea nùnc altiùs,nùnc in summa superficie coaceruatur. Carcinoma est ipsius tunicæ cancer.

Morbi qui contingunt in vuea tunica,ità vt visum impediant,contingunt omnes circà pupillam; & quia foramen hoc debet esse ità angustum,vt non impediat exitum radiorum,ità amplum,vt nõ dispergat radios,ideò vitia,quæ ipsi contingunt,fiunt vel quia angustiùs fit, vel quia latiùs, vel quia è directo non positum est antè humorem crystallinum,vel quia rotunditatem amisit,ità vt sit tortuosum,vel oblongũ. prima affectio dicitur phtisis oculi, seù tabes pupillæ;secunda pupillæ diffusio, vel dilatatio; reliquæ duæ strabositas, & distorsio oculi dicuntur.

Morbus in tunica aranea fit,quandò tunica ipsa vitiatur; vitiatur autem vel quia disrumpitur,vel quia crassescit, ità vt exitum radiorum impediat. si frangatur,fit morbus,qui apud *Galenũ* d fractio dicitur,& vitiatur visio,quia confunditur humor crystallinus cùm aqueo. si verò fiat crassior tunica, ità vt non sit peruia, fit vt visio maximè hebetetur,quoniàm imagines confusè repræsentantur, & quasi omnia velata conspiciuntur.

d *lib. de fin. Med.*

Humor crystallinus,qui à natura fuit factus. vt

vt esset veluti domicilium,& habitaculum virtutis visoriæ, vt multis insignibus conditionib⁹ ornatur,ità & multipliciter potest lædi. Potest igitur primò lædi in substantia,quia scilicet substantia huius humoris vel est nimis crassefacta, vel nimis extenuata, vel diuisa; potest secundò in quantitate lædi, si quantitas, & magnitudo huius humoris excreuerit suprà mensuram a natura constitutam, vel sit minor quàm conueniat;in qualitate tertiò lædi potest, si figura huius humoris non sit circularis,si non sit lucidus,sed obscurus,si non sit leuis,& politus, sed asper; in vsu deniq; lædi potest, quandò aut sursùm,aut deorsũ magis inclinat, vel destrorsũ, aut sinistrorsùm,ità quod non sit in medio collocatus. Cùm humor iste crassescat,ità vt laborantes videant debiliter,& omnia quasi per nebulam,& velũ cõspicere videantur;sicut enim in aqua crassefacta nõ rectè repręsentãtur imagines,ità in humore crystallino crassefacto non possunt imagines repræsentari.hoc vitiũ Glaucoma vocant Medici, *Aetius* Glaucedinem appellauit.Quandò hic humor fit tenuior, similiter vitiatur,quia imagines non ità effigiatę fiũt vt deceret.accidit hoc in aqua vitę, & alembicata,in quibus non ita repræsentãtur imagines exactè, vt conueniret. Si humoris continuitas soluatur,ita vt diuidatur,contingit, vt res omnes separatæ & diuisæ videantur.Si fiat maior quàm sit opus substantia huius humoris,non efficitur exacta visio,eò quòd,vt asserit *Aristote*

les contingit in magno corde calorem natiuũ esse minorem, sic in humore crystallino amplo virtus visoria semper est debilior, sicuti è conuerso vbi substantia mediocris est. Accedit etiã aliud, quod semper rerum imagines maiores quàm sint apparẽt, vt specula maiora, maiores etiam reddunt imagines. Si minor sit idem humor, contingit quod res non exactè videãtur, quia virtus visoria non habet instrumentum aptum, & in eo minores repræsentantur imagines. Si eius figura circularis vitietur, ita vt sit vel nimis complanata, vel nimis rotunda hæc contingunt; si primùm non possunt videri ea, quæ sunt in lateribus, sed solùm ea, quæ sunt antè, vt rectè demonstrauit *Galenus* e si secundùm visio modò impeditur, modò destruitur: quia crystallinus humor facile modò hùc, modò illùc agitatur. Pariter si humor crystallinus non sit politus, neq; leuis, sed asper, contingit, vt res confusissimæ videantur. sic specula aspera aut õninò nõ reddũt imagines, aut reddunt perturbatas. Demũ si situs huius humoris deprauetur, ità vt vel sursùm inclinet, vel deorsùm, contingit id, quod scribit *Galenus*, f vt nimirũ omnes res geminæ appareãt. sic duplices soles, & geminas se ostendere Thebas videbat ille apud Poetam. At si inclinet dextrorsùm, contingit, vt sinistra non videantur, si sinistrorsùm, vt dextera non conspiciantur.

e *10 de vsu p.* [illegible]

f *lib. 2. de de sympt. causs.*, & *lib. 10. de vsu part.*

Morbi qui vitreum humorem afficiunt, sũt illi, qui eius munera vitiant. Vitiantur eius offi-

cia, vel ratione nutrimenti, quod præbet, vel ratione complexus, & ambitus. Si ratione nutrimenti fiat vitium, est vel quia non præbet bonum nutrimentũ, vel quia non præbet sufficiẽs nutrimentum, (numquàm verò vitiatur propter nimium nutrimentũ, quia vbi defectus est in copia nutrimenti, proficiscitur potiùs ex parte nutriti, quod plus attrahit.) Similiter contingit vitium propter complexum, quandò sci licet ità latus, & amplus est iste humor, vt maiorem crystallini partem occupet, quàm conueniat. Si humor vitreus minùs nutrimẽti præbeat, quàm conueniat, fit visionis impedimentum, fitq; cœcitas, quia humor crystallinus orbatus proprio nutrimento siccescit, ac spiritus consumit internos. Si autem non præbeat optimum nutrimentum, est ideò, quia alimentum præbet crassius, & turbidius, vndè fit vt humor crystallinus pessimo humore nutritus operationes suas corrumpat. Cùm enim crystallinus deberet nutriri claro, & liquido alimento, non posset illo nutriri, si humor vitreus obscurus, & crassus esset. Quod si hic humor excedat in quantitate fit, vt cùm complectatur maiorem partem crystallini quàm conueniat, non per totum crystallinum possint imagines recipi, quarè isti & si vident, non omnia, quæ alij, possunt videre.

Deniq; humor venit albugineus expendendus, qui, vt scriptum est apud *Galenum*, & *Auicennam*, dùm à propria natura recedit, ita vt vi-

sui noceat, vel patitur in propria substantia, vel in quantitate, vel in qualitate. in substantia patitur, si fiat vel crassior, vel tenuior. in quantitate, si vel augeatur, vel imminuatur. in qualitate si perspicuitatem amittat, quod fit si vel obscuretur, vel alium contrahat colorem. si crassescit humor albugineus perfectio visionis amittitur; si crassities hec increscat, visio deperditur: crassities autem vel est in toto humore, & fit suffusio, vel non in toto, sed in parte, atque hæc pars si totam pupillam obambulat, fit etiam suffusio; si verò non totam sed solùm centrum pupillæ obambulat, omnia quæ videntur apparent esse fenestrata, & perforata. si verò partes plurimæ crassescunt, fiunt imagines, siuè phanthasmata. At si hic humor tenuior fiat impeditur quoque visio, ex eo, quia lux cùm non recipiatur, vt deberet, primùm in hoc humore albugineo humorem disgregat crystallinum, ipsiq; nocet, vndè fit, vt visio hac in parte labefactetur. Si augeatur humor albugineus, impeditur etiam visio, quia humor iste obumbrat crystallinum, ita vt ob nimiam vmbram huius humoris non fiat perfecta visio; accedit, quod dùm spiritus, seù radij visorij pertranseunt per multum humorem hebetantur. Si verò minuatur, fit quoq; impedimentum visionis, quia non rectè imagines recipiuntur. Demùm si obscuratur color albugineus, dicit *Nemesius*, idem euenire quod in aqua turbida, in qua non possunt recipi colores, nec imagines. Asserit

rit verò *Auicenna*, quod non apparet homunculi forma. At si colores suscipiat alienos, impeditur quoq; visio, quia res visæ eodem colore videntur infectæ, quo infectus est huiusmodi humor. vndè si humor albugineus sanguine suffusus sit, omnia videntur rubra, flaua vero, si bile flaua. Neruorum Opticorum morbi sunt Paremptosis, siue Gutta Serena, quæ est obstructio, seù concidentia nerui optici, & Symptosis cùm meatus ille ex tabe constrictus, & densior factus existit, aut conuulsione, vel alia intemperie cùm materia distortus. Adsunt tandèm affectus, qui omni oculo possunt accidere, vt Epiphora, seù Lachryma, quæ est impetuosus humorum ad oculos fluxus, quo perpetuò lachrymantur. secundus oculorum affectus dicitur Rixis, quę est ruptura ab ictu, vel alia caussa, quę adeò rumpit membranas, vt humores etiam ibi contenti effluant. tertius dicitur Paralysis, seù oculi resolutio, quæ est, vbi obliquæ motiones, & quæ sursùm, aut deorsùm fiunt, expediri non possunt. atque hæ sunt præcipuæ oculorum affectiones. liceat ergò ad aurium affectus numerandos accedere.

Quatuor ad perficiendum auditum sunt necessaria, vt ex superiùs dictis in eius Anathome apertè colligitur. vnum est, vt soni audiantur: alterum, vt soni solùm externi, illi scilicet, qui ab externa aeris percussione efficiūtur, audiantur: tertium, vt percipiantur soni in debita distantia, & facti à moderata percussione: quartū

deniq;

deniq; vt hæc perceptio sine vlla fiat perturbatione, aut dolore. hîc est, quod si aliquid horũ, dùm fit auditus, deficiat, statim auditum laborare est necesse. nimirùm si soni non percipiũtur, si non percipiuntur externi, sed interni, si non percipiuntur in debito spatio, vel cùm moderata percussione: demùm si percipiuntur sed cùm perturbatione, aut dolore. vbi soni nullo modo percipiũtur, fit surditas; vbi percipiuntur interni soni, & non externi, fit tinnitus, & sonitus; vbi percipiũtur externi, sed non in debita distantia, sed quandò solũ appropinquant, aut non percipiuntur, nisi cùm magna percussione, fit auditus grauis; vbi deniq; percipiũtur etiam cùm debito spatio, sed non sinè perturbatione, fit dolor.

Habetis igitur, N, genera vitiorum quibus visus, quibus auditus læditur. quare solùm remanet expendendum, an huiusmodi affectionibus Hypocausta conueniant, vt nostrũ assequi tandèm possimus intentum, vt disceptationem hanc ad optatũ finem perducamus. Verũ priùs quid sint, Hypocausta, eorumq; effectus videre est opus; pro quorum cognitione aliquid altiùs de balneis licet repetere.

At non credatis me longa verborum serie hoc in loco sumptuosos illos Antiquorum balneandi apparatus, magnificaq; ædificia recensẽdo, diutiùs vestrorum aures defatigare. solùm enim est in animo, ea, quæ ad Hypocausti cognitionem conducunt, breuiter innuere: quapropter etiam omitto vniuersam balneandi ratio-

tio-

tionem partiri in liquidam, solidam, & vaporosam iuxta rerum differentias, ex quibus balnea possunt constare, & solùm tertiam, vaporosam nimirùm, examinare propono, cùm sit ad nostrum institutũ valdè necessaria; quam quidèm balneorum differentiam Stufam nominarunt Antiqui, locum nempè vndiq; vallatum, cuius aer, & parietes per medium calefiunt, siuè ab igne fieri contingat; siuè ab aqua simplici, aut minerali, aut composita, aut ex vino fiat, à quibus eleuatus vapor in loco vndiq; circumsepto contineatur. cuiusmodi balnea tantifecit antiquitas, vt in tuenda mortalium sanitate, recuperandaue eximijs expensis varia ædificia ad id fabricauerint; cuius differentiæ vsu, & ratione inuentæ, etsi plures sint, in aeris tamen temperie omnes conueniunt, quæ calida semper esse conuenit, ac humida, aliquandò vaporosa, nonnumquàm verò sicca: hinc fit, quod huiusmodi balnea multis parentur modis, & omnia pręstantissimos largiantur in medendis morbis vsus: possunt enim ex feruentis solis calore fieri, ex ignis approximatione, ac ex vaporosa aliqua substantia, quæ medium aerem occupet, atq; alteret. Illa, quæ sicco calore vsui paratur, multis modis construitur; primò ex laconico, igne solummodò calefacto, quæ paratur igne succẽso iuxtà laconici parietes, aut in furnello, quod sub laconico succendi solet, à quo vniuersus laconici aer, & calidior redditur, & vsui aptior. Paratur etiam ex Clibano, quod à latinis

Te-

Testus dicitur: est etenim quoddam testaceũ inuolucrum, atq; tegumen sub quo calefacto, prunisq; obruto panes coquũtur, quo vase semel concalefacto, quantùm potest tolerari, laborantium conteguntur corpora. Furnus etiã mediocriter calefactus eundem præstat vsum; quo vtuntur rustici, & agricolæ sæpissimè.

Tertia tandèm est stufæ species, in qua medius aer vaporosa aliqua substantia commiscetur: cuius gratia expendamus, si lubet, quinque balneorum omnium partes ab antiquis habitas quarum prima erat Apodyterium, seù Tepidarium, quo in loco lauaturi exuebãt vestes, qui quidem locus laxus, ac hilaris describitur à *Plinio* ad *Apollinarem*, hoc est, amœnus, ac mollis teporis tùm solaribus radijs à meridie illustratus, tùm proximi Hypocausti vapore laxus; Apodyterium sequitur Hypocaustum, seù laconicum, vel sudatorium, vt latini nominant, q; habet sub pauimento locum vacuum; in quo succensus ignis calidis eleuatis vaporibus, sudorem elicit; tertia balneorum pars solium erat calidum, idest, cisterna, aut vas, aut cupa vbi homines abluuntur, quare & lauacrum, & piscina communiter dicebatur. Quarta est solium frigidum. Quinta demùm corporis detersioni, ac exsiccationi inseruit, quarum omnium partiũ structuram, ne sim molestus, omitto, tũ quia non attinet ad nos, tùm quia *Vitruuius*, & *Baccius* de ijs fusè loquuntur. nam quæ ad nostrum pertinet institutum ex his omnibus cellulis, eã

est,

est,quam Hypocaustum nominant, in quo halituosus, & humidus vapor aere ipso miscetur, sudoresque hac ratione elicit. vndè manifestè patet Hypocausta non nisi ad sudores eliciẽdos fuisse instituta, quapropter nostra disceptatio non in alio consistit,nisi videre,an sudores morbis his competant.

g *libr.fin. Medic.*

Est sudor humor incoctus, quem *Galenus* g definiens inquit esse tenuis, ac serosæ colaturã humiditatis sanguini permixtæ iuxtà *Aristotelis* h definitionem, qua docet sudorem vaporis humidi esse excrementum. est quidem sudor tertiæ,& vltimæ concoctionis excrementũ serosum in primis,& vtcumq; biliosum, tenue, & sanguinis ipsius velut vehiculum, qui è maioribus in minores venas, minimasq; sensim destillans, tandèm è corpore per patẽtes excernitur poros,à calore vtroq;attenuatus,& foras expulsus,siuè copia peccãs nimia,siuè qualitate acris, tenuis, & mordax, iuxtà *Galeni* i sententiam, qui ad sudoris generationem calorem tanquã propulsorem, siuè effectorem requirebat, humorem verò tamquàm materiam;hinc fuerũt balnea, ac stufæ inuentæ, vbi minoratione humoris per sudores erat opus; hinc omnibus plerũnque morbis, cùm omnes plerùmq; ab humoris copia proueniant,Hypocausta,ac balnea competere,nemo inficiabitur;hinc & oculorũ, auriumq; morbis hoc fuisse salutare præsidiũ, quosdam puto pro certò affirmare. Verùm tantũ isti à veritate aberrant;N,quantùm à rationali

h *lib.3.de part. animal.cap 5*

i *3.aphor. 6.in com.*

tionali methodo distant; quandoquidem formicarum mores nō sequuntur, vt sapiens docuit, quæ etsi vilissima sint animalia, semper tamen futura præuident; sed è conuersò præsens solū considerant, futura negligunt, & dummodò indicanti satisfaciant, parùm curant prohibentiū, siuè contraindicantium. & certè nonne à rationali methodo distrahuntur, qui de contraindicantibus nihil laborantes, Hypocausta, etsi perutilia, ac sæpissimè multis in morbis necessaria, in casu nostro tamen deterrima, ac perniciosa, non modò non auersantur, sed futilibus, inanibusque rationibus innixi, contemptoque validiorum obsequio, doctissimorum hominū auctoritati repugnāt. nam humores illos emittere inualida naturæ vis non potest, imò meatus illos visorios, atque auditorios magis, magisque humoribus oppletos reddit, quos iam in capite redactos virtute calefactiua ad dictos meatus defert, nec indè vltrà valet eijcere. quod confirmatur magis ex eo, quod serosus humor vehit secum fusos humores, crassaque cerebri excrementa, ac cæterarum partium; at cum ad partes pertingit angustiores, easdem transcolando relinquit immotas, (ad eum modum quo decoctum aliquod impurum, & crassum clarescit per colatorium transeundo, quia præ pororum angustia relinquit post se crassitiem, & impuritates.) Quod si in affectionibus renum prohibet communis Medicorum schola medicamenta diuretica valida, etiām purgato cor-

pore, ne ex maximo humorum concursu obturentur, obstruanturque vreteres meatus; quantò magis in oculorum, auriumque affectionibus Hypocausta debemus prohibere, cùm maximum insit periculum, & ineuitabile, ne ex affluentia materiæ, siuè humorũ oppleantur optici nerui, ac visoria, & auditoria vasa, quæ perangusta sunt, ac tenuissima? Quod quidem accidere videmus in Horologijs, quorum minima cùm paruioribus instrumentis, ac virgulis ferreis sint fabricata, facili negotio, ac sæpissimè confringũtur, ac dissona fiunt; vt etiàm Horologia puluerea nobis innuit; quorum angustissima foramina, per quæ arenulæ labuntur, sæpe numerò vel pilis, vel alijs quibusvis id generis minutissimis rebus obturantur. Sed, ne diù in his exemplis afferendis immoremur, dicimus huiusmodi affectiones meritò hisce præsidijs augeri, cũ aut præ naturę imbecillitate, aut pręhumorum crassitie, aut præ meatuum tenuitate semper obturentur vasa. Hinc fit quod innumerabiles huiusmodi morbo affecti, atque hoc pernicioso remedio curati, aut misera cœcitate, oculorum præstantissimum lumen, aut audiendi facultatem super omnibus desiderabilẽ, vel vtramque simùl amiserunt; quod si aliquorum exempla ad id facientia molestum non esset referre, innumera adducerem: illa tamen pauca vobis proponam, nimirùm D. Franciscũ Scanighia Sacerdotem Panormitanum, qui anno 1643. mense Nouembris cùm dolore auriũ labo-

laboraret, & hypocaustis vteretur, auditiuam penitùs facultatem amisit. Adm.R.P.F. Innocētiū à Panormo olim Fratruū Ordinis Obseruantiæ D. Francisci Siciliæ Ministrum Prouincialē, qui anno 1649. mense Maij, & auditu graui, & visus aliquali imbecillitate affectus simùl ac stufas adhibuit cuiusdam Medici, ac propriæ mentis consilio, renuente sapientissimo Doctore *Saluatore Brixiano* suæ Panormitanæ Familiæ Medico ordinario oculis, & auditu captus est; eodem errore ductus Adm.Reu. Pat.Fr. Augustinus à Panormo Fratruum Ordinis Discalceatorum D. Augustini Siculus Prouincialis auriū, & oculorum vsu caruisset, cùm hypocaustis accipiendis immoraretur, vt defactò iàm surdescere incæperat, nisi eum longè Doctissimus vir *Ioseph Petronillus* Panormitanus Præceptor meus monuisset, vt ab eo remedio abstineret, & cùm ille tanti viri consilio obtemperaret, & congruè Medicinæ auxilia adhiberet optatissimæ sanitatis recuperandæ spem concepit, quā anteà indubitanter amiserat. siquidem compertum est apud Doctiores Medicos oculorum, auriumq; morbos Hypocaustis augeri: quandoquidem illorum calor euocat ad caput bilē, ac cerebri pituitam mouet, liquatque: qui quidem humores ad visorios meatus, amphractusquè auditorios delati eorum ductus occludūt, animales spiritus crassefaciunt, ac facultatis sensitricis impediunt transitum; cùm nequeat natura omnem liquati humoris copiam per sudo

S 2 res

res educere; crassior siquidem humor angustos illos meatus, anfractusq; obturat, & opplet, quod primùm omnium magister docuit *Hippocrates*, K qui inter huiusmodi morborum caussas calores Æstatis recenset.

K *libr. 3. aph. 5.*

Concludendum igitur erit numquàm Hypocausta oculorum, auriumque morbis competere, non modò his, de quibus in præsentia loquuti sumus, sed neque omnibus alijs oculorum morbis, de quibus õnibus singillatim pertractassem, nisi longiori tractatione, quàm par fuisset, res absolui liceret. satis ergo sit de his particularib⁹ morbis breuiter hactenùs egisse, vndè nimirùm emanare fortassis poterunt rationes, quæ idem in alijs morbis probent.

Venenum an Veneno Pellatur.

DISCEPTAT. SEPTIMA.



OMNIVM venenatorum morsus grauiores esse, si alterum læderit alterum, vt scorpium deuorari à vipera certum est; inquit *Aristoteles*,ᵃ NN., vndè non immerito illud problema, vtrum scilicet venenum à veneno extinguatur ortum ducit, quod multorum fuit sententia, in quam & nos pedibus ibimus. De hoc problemate autem tractantes

a *lib. 8. de hist. anim. cap. 29.*

ridi-

ridiculum foret de venenorum curatione per venena agere absque venenorum cognitione, propterea de veneni essentia necesse est breuiter aliquid innuere.

Fuit venenum naturale adhibitum, ac artificiale excogitatum à praua hominũ sæuitia, ne dicam immanitate, nõ solùm ob inimicorum, verùm etiam ob sui destructionẽ; homo enim, qui si alienus sit à lege pessimus est cunctorum animalium ex *Aristotele*, [b] putans mortem indigere medijs, quibus possit sua munera exercere, iam remotus à ratione, dedit illi ansam, qua repentè, ac inopinatò ipsum occideret, inuenit venenum, quod tacitè, & incõsulto per venas ad cor permeat, illud interimit; ideò enim fuit venenum dictum, ideò verò Toxicum quasi Taxicum à venenosa, mortiferaque arbore Taxos.

b *lib.1.politic.c.2.*

1 Est venenum id, quod humani corporis temperamentum permutat, vincit, destruit, ità definijt *Galenus lib.3.de temperam. cap.3.* ità *Auicenna lib.de vir.cord.tract.2. cap. 1. in fine*, ità *Nicolus, Conciliator, Valleriola, Ioubertus, Bacchius, Mercurialis, Cæsalpinus, Zaccutus*, alijque definiere: quandoquidem hominis complexionem destruit, totaque eius essentia in hominis destructione consistit, humanæ naturæ aduersatur, ac objicitur; per hæc enim ab alimento distinguitur, & à medicamento differt: alimentum siquidem à natura alteratur, ac superatur; cùm in substantiam aliti cõuertàtur, medicamentum

par-

partim superat, & agit in naturam, partim ab illa superatur, & patitur. Venenum verò naturam nostram exsuperat, extinguitq;, nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota seruata integra, corpus ipsum afficit, cæterum graue, & naturæ animalis corrumpens, vndè *Galenus* [c] totum eorum genus deletorion, & pestilens dici putauit.

c lib. 3. de temp. c. 8.

Hinc illa oritur dubitatio, cur scilicet, si venenum tantopere calori nostro aduersatur, ab ipsomet calore ad actum reducitur, vt nocere possit, & à corde attrahitur? ad quam, respondendum mihi videtur cum *Zaccuto*, [d] quod venena quæ ab animalibus eiaculantur, cùm à viuente mittantur, statim, promptèque altas penetrant corporis partes, atque adeò alio coadiuuante calore minimè egent; quæ verò per os assumuntur, aut sunt calore actuali priuata, non possūt actuari, nisi aliqua vi adiuta, ita docuit *Galenus lib. 3. de temp. cap. 5. & lib 3. simpl. cap.* 18. hæc autem vis est calor naturalis; qui venena calida calefaciens, id est per quod venena penetrant, vicinasque opprimunt partes, hæ autem læsæ venenum ad partes propellunt viciniores, quæ cùm noxam persentiant, ad proximas venenū transmittunt, & sic ad cor citissimè pernicies communicatur. Frigida etiam venena viuenti calore destituta in actum redigit calor naturalis; quia cùm crassa constent substantia, atque ad motum pigra sint, à calore attenuata cor petunt; deindè prosternunt: natura siquidem no-

d lib. 5. de med. Pric. hist. qu. 1.

stra

ſtra ſagaciſſima cùm ſit, conatu valido, vt partes tueatur incolumes, aduerſùs venenũ inſurgit, & adaucto calore per accidens attenuat, liquatque venenum, quod ob diffuſum calorem dilatatis vijs citiſſimè rapitur ad viſcera. Venena verò extrà admota vt cuti, veſti, ſtapedibus, & cet. ex attritu pedum, aut motu corporis incaleſcunt, mittuntque ex ſe vapores eructantes in cerebrum, & cor, mortem afferentes pernicie ſua. Attrahitur verò à corde venenum per accidens: cùm attrahatur permixtum cùm aere per inſpirationem, & tranſpirationem, de quibus omnibus conſulite *Cardanum lib. 1. de venenis cap.* 4.

Venenorum quædam agunt qualitate manifeſta, vt ſunt calida, ſicca, erodẽtia, & ſimilia; quędã qualitate occulta, quæ occulta vi agunt, interimũt, huiuſmodi generis veneno vult Venus Cupidum vti contra Didonem, dum ibi e filium ità alloquitur.

e *Virg. li. 1. Aeneid.*

Vt, cùm te gremio accipiet lætiſſima Dido,
Regales inter menſas, laticemque lyæum,
Cùm dabit amplexus, atque oſcula dulcia figet,
Occultum inſpires ignem, fallaſque veneno.

Generantur venena, & in elementis, & in mixtis, in elementis per accidens, ſic per accidens aer aliquando veneno afficitur, fitque peſtilens vt bene *Cardanus*; f in mixtis verò eſſentialiter, vt in mineralibus, plantis, & ſimilibus. Mixta venenoſa aut ſunt inanimata, aut animata. Inanimata ſunt quædam ex metallorum genere;

f *lib. 1. de venenis.*

vt

vt argentum viuum, gypsus, & similia. Animata verò, aut sunt vegetabilia vt plantæ, aut sensibilia vt bruta, quæ.

Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt
Affixa in venis. g

g Virg. 4. Georg.

de quibus omnibus componuntur pulueres, aquæ, & olea, quæ diuersimodè agunt, diuersimodè interimunt. Plantarum variæ sunt partes noxiæ; sunt enim radices, folia, flores, semina, fructus, & succi. Animalia diuersimodè etiā nocent, aut esu carnium, aut morsu, aut punctura, aut tactu, aut saliua, aut halitu, aut obtutu, & ab illis, & ab his artificialia componuntur venena, quæ vel intrinsecùs, vel extrinsecùs administrātur, quæ humana prauitas in exitium, ac interitum excogitauit. Verùm in mixtis nō solùm essentialiter possunt generari venena, sed aliquandò per accidens, vt in humoribus nostri corporis, ex corruptione enim coagulati lactis in stomacho venefica apparent symptomata, & horrenda ex *Dioscoride*, h propterea omnia de lacte vitabis ritè minutè bilem ærugineam veneni naturam sapere maximè in ore ventriculi infixam, affirmauit *Galenus*. i tunc enim sua erodenti vi vniuersum corpus conuellere, & in consensum ducere conatur. Similiter & semen retentum, menstruasq; purgationes impeditas venenum euadere dixit *Galenus*. k si quidem constat menstruatas mulieres venenare specula, segetes, &c. dixit enim *Columella*, mori omnes herbas, si per hortum mulier inambulet

h lib. 6. c. 20.

i libro 1. pron b. 10

K li. 6. de loc. affect. cap. 5.

let, dum sibi menstrua profluunt. cubantes cũ mulieribus menstruis laborantibus, lethalissimos sæpe morbos contrahere, sæpiùs autem euadere leprosos quotidiana experientia obseruatur: ideòque tempore Hesiodi, atque etiam apud Hebreos fuit lege inhibitum, credo, viros non posse in eodem balneo versari, in quo mulieres menstruatæ, neque cùm ipsis habitare. vndè satis verum apparet *Solini*, *Plinij*, *Galeni*, & aliorum dictum asserentium sanguinem menstruum interdũ euadere purum venenum, posse venenum in corpore nostro generari, atque adeò non miremur, si plurimi integra valetudine fruentes repentè veluti siderati concidãt, & moriantur: quoniam veneno similis in corpore genitus humor sua vi dira cor ex improuiso premit, extinguit: quandoquidem ab origine plures manant exitiales morbi, qui nullis deinceps auxilijs compesci possunt. quamobrẽ non iniuria mortuus est phreneticus ille *tertij lib. epidem. sect. 3.*, etenim, vt habet *Galenus in commentu*, hic æger non fuit à phrenitide perẽptus, sed statim tertia die cẽsendus obijsse à qualitate succorum virulentorum, (eo modo quo postridiè, vel tertiò quidam moriuntur epoto lethali veneno, qualitate eius, non copia mortẽ afferente) humor etenim vitiosus in corpore coaceruatus erat veneno lethali adsimilis in partibus vicinis aliquid paulatim agens, qui tẽpore opportuno, quia euaserat malignissimus, lethale repentè generauit symptoma. hæc &

plura haberi possunt circà hanc disceptationē apud Auctores, vt videre est apud *Gentilem super 1.3. tract. 5. cap. 8. Auicennæ, Thomam a Veiga super 3. de loc. cap. 7. §. in corpore*, *Cardanum libr. 1. de venenis cap. 6.*, *Herculem Saxoniam de febribus cap. 37.*, *Carrerium disp. 66. ad lib. Galeni de loc. affect.*, *Petrum de Peramato lib. de plenitud. cap. 8.*, *Zaccutum lib. 1. de Medic. Princ. hist. 52.*, *Danielem Sennertum lib. 2. instit. med. part. 2. cap. 2.* aliosque quamplures.

l *Libr. de morb. venen. c. 14.*

Neq; valet asserere cū *Hieronymo Mercuriali* l nō posse generari ī corpore venenū, quia calor id nō permittit: quādoquidē natiuus sēper est auctor vitæ, ac salutis, non autem perniciei, ac veneni; præternaturalis verò non potest agere supra potentiam propriam: maior est enim vis veneni, quam potentia caloris preternaturalis. non valet, inquam, hoc asserere: etenim calor non sinit venenum generari in corpore, quādò est validus, non autem quandò est imbecillus, ac debilis, & ad propria munia obeunda insufficiens, propterea humores putrescunt, & in malignam abeunt naturam, venenique perniciosissimi ritu corpus ad interitum perducunt, neq; calore solùm est opus ad omnes actiones in corpore nostro obeundas, vt benè respondet Sennertus, siquidem multæ ex totius substantiæ ratione, seù occultarum qualitatum vi emanant: quare & venena, quæ plerùmque ab occulta fiunt qualitate, possunt à totius substantiæ ratione in nostro corpore generari, absque

vllo

vllo caloris concursu, qui si cùm principaliori agenti coniungitur, illud fouet, etiam aliquãdò ad ueneni generationẽ facit, non vt agens principale, sed vt instrumentum alij principaliori inseruiens. Consentaneum igitur erit cum *Galeno*, ac Auctoribus citatis asseuerare venenum innasci in corpore. Quis enim negabit, posse alimentum, aut humorem in nobis corrumpi, & tam praua putredine vitiari, vt qualitatem acquirat non minùs deleteriam, quàm cuiusuis alterius veneni? Quis ibit inficias, posse dari aliquandò temperamentum præter naturam in quodam homine, vel in aliqua eius determinata parte, cuius ratione generatur venenum, prorsùs simile ei, quod in animalibus producitur ex quodam certo determinato temperamento, quod naturaliter in homine non reperitur? sic videmus in enarrato, multisq; alijs exemplis fera, ac sæua sympthomata vires prosternere, naturam debellare, sensum, motum, vocem, & cursum auferre, conuulsiones inducere, refrigerationes, tremores, frigidos sudores, amentias, vomitus, cardialgias, ac reliquos epoti veneni affectus caussare; pendent enim à virulenta quadam, ac perniciosa qualitate, vt inter omnes probãt eruditissimus *Castrensis Lusitanus*, m & *Sennertus* citatus. hinc puto duci omnes ad deneganda propria veneni sympthomata, pathognomonica veneni signa; hinc negarunt omnes posse veneno interfectũ signis proprijs recognosci, nullam posse fieri in foro

m *Lib: 2. de meteoris microcosmi c. 12*

de veneno assumpto relationem.

At quò me rapit tàm grauis materiæ tractatio? quò pulcherrimæ doctrinæ specie mens allecta præteruolat, à proprio instituto recedit? Multa essent dicenda N, præclara, rara, amplissima de veneni essentia, si id temporis angustia, si tantùm superioris diei curriculus calamo permisisset, si vestra facilitate, atque attentione abuti non viderer: idcircò quæ ad nostrã faciunt disceptationem, reliquis omissis, breuissimè percurram.

Pro qua re est sciendum, quæsitum non esse de venenis extra appositis; cùm de ijs nulla sit quæstio; siquidem experientia patet, vniuscuiusque carnem multùm prodesse ictui suo, vel morsui superpositam; sic viperæ caro viperarũ morsibus medetur; iecur, ac pili rabidi canis huius morsui auxiliatur, & scorpius scorpionis ictui remedio est, vt *Galenus libr. de Theriaca ad Pisonem* sæpissimè affirmauit; externum enim venenum proprietate quadam, ac simboleitate cùm tota substantia interni, illud attrahit, atque adeò veneni vim destruit, aut certè refrãgit; sic cremati scorpionis nidore reliqui omnes protinùs fugantur, vt ex mente *Diophanis* testatur *Ruellius*. n

n *Libr. 4. de natiStir pium c. 47*

Erit igitur disceptatio de venenis internis, de quibus dicimus non quodlibet cuilibet reluctari, imò potius quãdoque augere, propterea dixit *Aristoteles* in principio citatus, quod si animal venenatum ederit aliud animal venenosũ,

multò

multò exitialius euadet illius venenum: quandoquidem si anguis edit scorpionem, inquit Aristoteles, multò valētius euadit anguis venenum. idem euenire solet quotiescumque ambo venena idem sortiuntur temperamentum; sic videmus euphorbium ad auripigmenti aduentum augeri, mandragoram ad opij.

Verùm non de omnibus hoc erit dicendum, multa sunt venena, quæ alijs profligantur venenis; magnum est etenim discrimen inter venena animalium, & aliarum rerum; siquidem harum venena habent naturalem antipathiam, & inter se, & cùm venenis animalium, quorum venena licet in aliquibus inter se differant, in hoc tamen conueniunt, quod omnia sunt coniuncta calori viuenti, & actuali; quapropter ob hui9modi similitudinem in se se cōuertuntur: quandoquidem cùm nutritum semper nutrimento augeatur, non est mirum, si venenum animalis nutriti alio venenato animali exitialius, & immanius euadit, vt docuit *Aristoteles* citatus; hinc est quod vipera cōmordens viperam, aut scorpionem non venenat, quia ob hanc caloris innati similitudinem potiùs seruantur, ac efficaciora euadunt, quàm læduntur.

Venenorū verò, quæ maximam habent inter se antipathiam vnum expellit aliud, atque hoc modo commoriuntur in pugna, & quod potentius est alterum deuincit; sic ex *Theophrasto*, o & *Plinio*, p torpescunt scorpiones aconiti tactu

o *Lib.* 19. *de histor. plant. capit.* 10.
p *Lib.* 27. *cap.* 2.

tactu, stupentque pallentes, & vinci se confitentur, sic mandragora proprietate quadam occulta contra elleborum pollet ex *Plinio*, q & *Ruellio*, r hoc modò cantharides ad canis rabiosi, & salamandre morsum potenter opitulantur, ex eodem *Plinio*, s *Rhasi*, t & *Matthiolo*, u hoc modo euphorbium ad scorpionum ictus adiuuat ex *Matthiolo*, x & *Ruellio*; y hoc modo denique mercurium, & arsenicũ ferinam scabiem, morbumque gallicum curant.

q *Lib.* 25. *cap.* 13.
r *Lib.* 3. *de nat. stirp. cap.* 111.
s *Lib.* 29. *cap.* 4.
t *Lib.* 20. *diuis. c.* 2.
u *in præf. ad libr.* 6. *Dioscor.*
x *Ibidem*
y *Libr* 3. *cap.* 53.

Concludendum igitur erit posse venenum veneno pelli sicuti clauus clauo, posse venenum veneno multoties curari, sicuti malum malo multoties medicatur, ac dolor dolore. dixi multoties siquidem nõ quælibet auctoritas de exhibendis medicinis venenosis est extendenda, nisi fuerit comprobata experientia, vel alia ratione manifesta, namq; vt benè aduertit Eminentissimus *Ferdinandus Ponzettus* Cardinalis, z qui purpuræ splendore non parùm medicæ facultati attulit dignitatis, tunc Medicina venenosa potest occidere sanum, & liberare venenatum, quandò in vna, eademque plures reperiuntur virtutes, puta venenosa, qua interimit, & iuuatiua, qua liberat, proptereà experimur multoties vnã cibi partem nutrire, alterã soluere. Medicinæ verò venenosæ, etsi respectu naturę, vel ex dispositione sumentis, vel loci corporis ipsius, in quo recipiuntur, videantur aliquãdò conferre, non tamen absolutè sunt dãdæ, nisi quandò non speratur, quod alia non ha-

z *Li.* 1. *de venen. capit.* 12.

beant

beant vim expellendi illud, atque adeò in hoc casu debet considerari quantitas, quia magna non posset actuari à calore naturali, secùs quā dò esset talis, vt in ea posset induci à natura sumentis quædam dispositio, quæ agat, & conferat. quandò enim miscetur cùm rebus non venenosis complexio cordis; & calor naturalis, qui semper tendunt in melius, si sunt inuicem vniti cùm illis sic actuatis, veluti cùm re, à qua est liberanda, inimicantur, ac cōtrariantur priori veneno, illudque expellunt; tunc etenim venenum permixtum trahit primum venenum, & per alia competentia, quibus conuenit cùm complexione humana, illud resoluit, expellit, destruit; sic Theriaca verum antidotū contra mortale venenū aduersùs venenū iuuat, idcircò

Profecit poto Mithridates sapè veneno
Toxica ne possent sæua nocere sibi

ità vt volens posteà veneno se ipsum interficere, non poterit.

Verùm pro complemento huius disceptationis duo remanent breuiter discutienda à *Mercuriali*, & *Zaccuto* hoc loco proposita. alterum est, vtrum, quemadmodùm complura venena reperiuntur inimica homini, sic possit reperiri homo, qui sit alijs animalibus venenum, ità vt alia interimat animalia. alterum verò, cur Thunni piscis caro viperę commorsis remedio sit, apud *Dioscoridem*, [a] dùm sic ait *Conditanei Thunni caro, quam Omotarichon vocant, sumpta ijs auxiliatur, quos vipera nomine prester momorderit* *sed*

a *lib. 2. c. 29. de Thū no.*

sed oportet vinum quamplurimum subinde cogatur haurire, ità vt vomitione reddatur.

Pro solutione igitur prioris quęsiti, dicimus cùm eodem *Mercuriali*, quæsitum verificari de homine graui aliqua, ac peregrina infirmitate affecto, non autem de sano: siquidem sanus homo medius est inter omnia animalia, ità vt temperatus iure vocetur; sic testatur *Auicenna* [b] se vidisse hominem, qui commorsus ab animalib⁹ venenatis, ea occidebat, ità vt quod statim ac venenata animalia ipsum commordissent, protinùs extinguerentur; qualem item legimus fuisse puellam illam veneno nutritam, Alexādro Magno ad eum perdendum dono missam, & illum Cambaiæ Regis filiũ, qui, vt *Iulius Cæsar Scaliger* [c] refert, adeò venenosus fuit, vt muscæ interirent etiã quæ eius cutem sugerent, quod nõ ob aliã rationem euenire putamus cũ *Mercuriali*, nisi quia horum corpus, erat aliquo tabo, seù prauo humore infectum, ità vt animalia illum humorem gustantia statim obirent, quod si saliua hominis ieiuni, & malè affecti est venenum ex *Aristotele*, & *Galeno*, cur non potest humor saliuosus in toto corpore alicuius hominis generari, qui eodem modo interimat animalia?

Ad secundum verò dupliciter respondet *Zacutus*; & primò iuuare Omotarichon, siue salsi Thunni carnem, quæ ex crudis thũnorum carnibus sale maceratis fit, pro morsu viperarum, non sui caussa, sed ratione salis, qui vt probat *Leuinus Lemnius* [d] defendit à putredine, & animalium

b *lib. 8. de anim. c. 6.*

c *Exercit. 125. sect. 1*

d *lib. 3. de occult. natu. mirac. cap. 9.*

maliũ venenosorũmorsibus valenter succurrit, quapropter sal acrimonia sua vomitũ concitat, præstantius pro veneno remedium: impetu enim illo violento humores virulenti tunicis ventriculi submersi vacuantur foràs. Respõdet secundò, carnem thunninam non prodesse cõtra venenum, cùm grauet naturam: est enim crassi succi, terreni, ac melancholici ex *Galeno*,[e] sed vinum superbibitum post carnem retundere vehementer veneni noxam: vinum enim ex *Dioscoride*[f] est venenorum vnicum alexipharmacum, potum liberaliùs auxilio est contra serpentium morsus, & omnium ictus, quæ refrigerando necant.

e *lib. 3. de loc. affect. cap. 7.*

f *lib. 1. c. quinto.*

Verùm soluere difficultatem *Zaccutus* mihi haudquaquàm videtur: nàm si prodest viperarũ morsibus omotarichon, non ratione sui, sed salis, aut vini superbibiti, sequeretur eodem modò prodesse quamlibet carnem salsam cũ liberali potu vini, quod numquàm fuit obseruatũ, aut dictum. meliùs ergo mihi videtur dicendũ hoc ex proprietate quadam occulta, & antipathia naturali thunni aduersùs venena prouenire: maximam enim habent simboleitatem ob eorum crassitiem pinguedinem, ac humiditatẽ cum suibus, qui teste *Aristotele* minimè omniũ læduntur à scorpionibus; & similibus, etsi non eam inficias, salem, ac vinum superbibitum summopere conferre, atque hoc modo mihi satis soluta videntur hæc quæsita, quibus solent, huic problemati finẽ facere nõnulli ex auctori-

bus. Maneat igitur ex præsenti disceptatione cõclusũ posse multoties venenũ veneno pelli.

Quod quidem ea ductus ratione firmandũ putaui, & defendendum censeo, non quia sic animo arriserit meo, sed quia luce clarius res ipsa patet lippis, & tonsoribus. Cæterum ab ea sententia vos aberrare non video, non dicam ob eximiam omnium humanitatem, sed ob singularem doctrinam, rerumque salutarium cognitionem, erroresque meos minimè naso suspendere vos credam; id enim maximè vobis considerari velim, quod breui superioris diei curriculo est res tota quanta est confecta, vt mandatis doctissimi viri Saluatoris Brisciano primi salutaris nostræ Academiæ Assidentis meritissimi obtemperarẽ; quod etsi leue quod
dam est ob rei tenuitatem, si tamen
imbecillitas mearũ virium con
sideretur, nil vereor, quin
digna vos excusatio-
ne me ab aliquo
rũ contradi-
ctio-
nibus defende-
re velitis.
Dixi.



Anin

An in Putridis, Malignisque Febribus cum Maximis Capitis, Cordisq; Affectionibus Competant Columbi Incisi Pedibus Admoti.

DISCEPTATIO OCTAVA.



MAGNAM hanc vniuersi molẽ, NN, etsi pulchritudine vndequaque perfecta omnium Auctor Deus architectatus sit, atquè exornarit, Hominum tamen ingenijs rerum semper nouarum vsus, ac experimenta inuenientium ad pulchriorem formam excoli ab ipso penè orbe condito compertũ est. Hinc frustrà conqueri dixerim eos, qui corruptos nõ modò suæ ætatis mores esse existimarunt, sed semper in peius ruere, ac retrò sublapsa referri. Effetæ scilicet naturæ penè senescentis vires, iàmque omni prorsùs validitate destitutæ, quæ iam in ipsa orbis iuuenta ediderat, vel ornatiora, vel validiora, iam incompta, ac nullo robore prædita componit. Nec ego innumeras artes, recensere operepretium duco, quibus semper Orbis, Vrbes, ac Homines omnes

potiori, ac feliciori cursu relabi ætates inspexerunt; cùm enim nemo sit, qui nesciat decantata illa auri secula nihil sanè habuisse auri ũ præter nomen: quis euoluta temporum superiorũ spatia his, quibus nos viuimus, vt tempori præposita sunt, ità deberi omninò postponi dubitabit? quis enim non videat, omnes quotidiè disciplinas augeri, nouis rerum cognitionibus ditari, atq; impinguari? longum esset per omnia, quæ afferri possunt exempla excurrere, cùm tamen Rhetoricæ, Poesis, Philosophiæ facultatibus, ne de alijs loquamur, noua semper in dies addi inuenta liqueat apud omnes, quin etiam inter omnes scientias sese efferens sacra Theologiæ disciplina, quæ de rebus omninò sanctis, ac irreuocabilibus differit, cùm nouis cognitionibus vetera commutare non dubitat. Iuuat ergò, decet, imò & opus est in nouas ingenium acuere opiniones, quod etiam vltrà doctissimorum virorum auctoritate confirmari non nescio. Meminienim apud *Senecam* legisse. a *Patet omnibus veritas, nondum est occupata; multùm ex illa etiam futuris relictum est.* & mox ad rem meam. *nusquàm enim inuenietur, si contenti fuerimus inuentis. Proptered, qui alium sequitur nihil sequitur, nihil inuenit, imò nec quærit.* & *Lactantius* b *quare cùm sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine vllo iudicio inuenta maiorum probant, & ab alijs pecudũ more ducũtur.* nam etsi fuerint Doctissimi veteres, attamen, vt cùm *Columella* loquar *quicumque*

a *Epist.* 33

b *de orig. error. c.* 8.

quæ

quæ sunt habiti Mortalium sapientissimi multa scisse dicuntur, non omnia; quare mihi valdè arridet *Synesij*, c opinio qua rerum hanc vniuersitatem libro, varijs literis signato, comparauit, in quo literæ quidem sunt partim Phœniciæ, partim Ægyptiæ, partim Assiriæ, quarum, qui naturas, & rerum arcana scrutatur; quò scientior, eò plures, clariùsque perleget, alij verò nullus poterunt aliqua ratione interpretari. Sed quid ego tui adhuc immemor, Medicinæ fons, & origo *Hippocrates*, quod in arte dixisti, non retuli? Tu ergò, cuius verba tamquàm ab Oraculo Medici accipiant necesse est, mihi rebus nouis fauenti, faue, ac mentis meæ opinionem auctoritate tua confirmes. Memini enim te dixisse vbi supra *Mihi verò inuenire aliquid eorum, quæ nondùm inuenta sunt, quòd ipsum notum, quã occultũ esse præstet, scientiæ votũ, & opus esse videatur.* sileãt ergò scrupulosi nescio qui antiquitatũ amatores, qui tamquã in crimen perpetrãtes in nouarũ inuentores rerum inuehi non verentur, & ab hominum eruditorum collegijs arcere student, & conantur. Quid ergò mirum est, si in Medica facultate, quæ experientiæ, ac rationi adhæret nouæ quotidiè fiunt obseruationes, remediorum inuenitur copia, *Hippocratis, Galenique* placita validis rationibus, firmisque argumentis castigantur? licet enim inuentores illi, auctoresque artis extiterunt, non ideò tamen omnia inuenerunt, specularunt; sapientes quidem fuere, non ità tamen scientiam termi-

c *Libr. de somn. c. 2.*

narunt, vt nemo vltrà progredi possit, aliquid inuentis addere. Et certè quis negabit, pecudũ, penè dixerim, more nos in Medicina duci, si *Hippocratem* sequentes multa sine ratione adhiberemus præsidia? quis ibit inficias, nos multos ignorasse morbos, aut certè admodùm ruditer cognouisse, si pulsuum doctrinam nesciremus, si exiguam quamdam, atque imperfectam Anatomes scientiam cum *Hippocrate* teneremus? cum *Galenus*, d quamquàm illum inuentorem omnium bonorum, bonarumque disciplinarum Ducem, ac primum naturæ operum cognitorem nuncupauerit, nequaquàm totam artem compleuisse, ac multa minimè limitata, quædam imperfecta, obscuraque posteris reliquisse testetur. quinimò *Hippocrates* ipse, cùm artem longam initio aphorismorum prædixerit, adeò vt vitam hominis longo superet interuallo, tamen licet senex ad Medicinæ finem nõ peruenisse de se ipso testatur in *Epistolis*, neque omnia videre potuisse, quæ à posteris sedula diligentia, industria mira, & labore indefesso fuerũt post modũ inuenta. proptereà *Galenus*, qui *Hippocratis* inuentis non fuit cõtentus, magno ingenio, magnaque eruditione Hippocraticã compleuit methodum, ac nullam Medicinæ partem inexplicatam reliquit. verùm Medicinæ metam non expleuit, multa illum latuere remedia, quæ tamen nobis abundè suppetunt, nec omnia in anathome obseruare potuit, quæ Iuniores elegantes, & docti, in frequenti corpo

d lib. 4. meth. c. 4.

rum humanorum sectione satis versati, plurima summa cùm laude obseruarunt; & sicut ille multa vidit, quę viderat minimè *Hippocrates*, ità ex ijs etiã, quæ diligentiùs ille elaborauit, multa nobis sunt cognita, quæ ipse nesciuit; & vt *Seneca* e verbis vtar *multùm adhùc* in Medicina *restat operis, multùmque restabit, nec vlli nato post mille sacula praeluditur occasio aliquid adhùc adijciendi. Plurimùm enim ad inueniendum contulere qui sperauit posse reperire* possumus cum eodem f subdere.

e *Epist.64*

f *Lib. natural. quæ cap. 5.*

Et certè quantùm amœnitatis, quantùm pulchritudinis, quantùm vtilitatis contulit, & Medicinę, & Orbi terrarum vniuerso tot simplicium inuentio, tot medicamentorum noua compositio, tot remediorũ cognitio, quę in illa veterum temporum serie desiderabantur, quæ nec per vmbram agnouerunt? quot prægnantes antiquissimis illis temporibus in tenebricosam traducebantur sepulturam, quia fuit à venerandis illis veterum sæculorum senioribus sanctum, haudquaquàm posse illis venam secari quocumque morbo affectis, & tamen tempestate hac nostra felicissimè sectione etiam ex talo vtimur? quot Gallici in tumulum raptabantur, quia illis interdicebatur Mercurij vnctionis vsus? quot cùm alui fluxu, quot pueri obierunt, quia ab antiquis phlebotomia illis erat vetita? quarè meritò dicebat *Isbaac*, g *multa dicunt Hippocrates, & Galenus, quæ nunc sequi non statuimus*. quod indicans etiam

g *1. theor. in præfat.*

Cel

h libro 3. cap. 4.

Celsus h in rebus, ait, multùm differentibus praeceptum perpetuum esse non potest. quot è conuerso in optimam fuere, & sunt restituti valetudinem, ex nouorum praesidiorum inuentione, inter quae non infimum locum tenet magnum illud, & salutare praesidium; casu nescio quo inuentum, appositio nimirùm incisorum columborum pedibus in maximis partium principum affectionibus; quibus vapores, humoresque noxij ad caput, & cor ascendentes ad inferiores partes deferuntur, ità vt liberum lethalibus illis vaporibus, & humoribus caput lethargo, ac delirijs ampliùs nullis molestetur, & cor sympthomatum vehementia non opprimatur. Quod quidem inuentum minimè ridẽdum a recentioribus, nescio quibus esse cẽseo; & adeò verum esse comprobatur illud Cœlo demissum, quantùm derisores isti toto, quod aiunt, Cœlo, aberrant. Pauci sint, vt lubet, Auctores, qui in hanc sententiam pedibus iuerũt, ijque nulllus nominis, cùm tamen magnae fidei apud eruditos esse vltrò concedendum sit; & Medicinae Principibus penitùs ignota: cùm tamen suprà dictum sit, non omnia calleri ab omnibus, non omnibus licere omnia adinuenisse; multa, siquidem experiendo fiunt, quae segnibus ardua videntur i vt dixit *Tacitus*, si nulla itẽ

i Lib. 15. Annal.

ratio, quae hoc probet, excogitata sit hactenùs, aut excogitari queat in posterum: quid tandèm praeibit auctoritas, & ratio diutinae experiẽtiae? Ne Auctoribus, & rationibus aliquid à nobis

dero

derogatum videatur, pro nihilo habita ægrotãtium salute, tàm efficax remedium, quod nos experientia pręceptrice quotidiè cognouimus salutare, nullo erit pacto adhibendum? Nam quid ego connumerem, non dicam infinitos, innumeros certè infirmos, qui cùm ipsis extrema impenderet dies, hoc vno tantùm Columborum remedio adiuti, mortem euaserunt, ac optatissimam salutem receperunt? Nonne hoc non modo eruditissimorum hominum, qui Panormi Medicinam summa cum laude profitentur, dicta comprobant, ac corroborant firmiter; sed & vulgarium etiam manus, qui omnes adeò rem hanc experti sunt ad salutem recuperandam aptam; vt simul ac de Columbis adhibendis agitur, iam in tuto habent ægrotantis valetudinem. Est enim is patentium rerum mos, vt nõ modò ab ijs, qui rerum arcana scrutantur, ac callidè agnoscunt, sed ab omnibus etiam vulgaribus rectè comprehendantur.

Nec obstat fingere, hoc nouum esse recentiorum inuentum, ac ob id nullius esse momẽti, cùm tantùm homines antiquitati parendum esse arbitrentur; nam quod meminisse potuerunt maiores nostri, mos hic vsitatissimus apud Panormitanos Medicos fuit, & laudatissimus. Vos huius rei testes voco, Sapientissimi Academici; ac vos pręcipuè, qui cæteris ætate prouectiores faciliùs rerum antiquarum, ac veterum morum meministis. Sed quantùm Columbi dissecti in capitis, cordisque lethalibus affecti-

bus sedandis sunt solliciti, tantùm & nos ad modum, quo hæc mala ab eis profligantur, exquirendum nostro munere obligamur.

Nec equidem adeò facilè id problematis reor, vt cùm præclarissimis alioquin viris ad occultas, ignotasque caussas audeam confugere: dùm enim isti experiuntur, dissectos Colūbos pedibus admotos multùm conferre iis, qui corde, ac capite valdè laborant, putantes hoc non nisi à valida humorum tractione à principibus ad partes infimas, prouenire, nullāq; huius rei expendentes caussam manifestam, ad eas recurrunt, quæ dùm in latente sunt obscuritate inuolutæ naturæ, dùm neque euidenter percipi, neque verbis dici possunt, occultæ rerum proprietates appellantur; dùm hæc, inquam, afferunt isti, multùm à veritate distant, & quod ipsi se ignorare fatentur, nobis demonstrare contendunt. at non ità se res habet; tunc etenim ad occultas esset properandum caussas, cùm manifestæ non suppeterent; meliùs quidem nobis est, inter manifestas caussas iucūdissima luce frui, quàm inter perpetuas tenebras, crassa offusos ignorantiæ caligine sordescere; & sanè ad manifestas rerum caussas omnis lapis est mouendus: nihil enim tàm arduum, abditumque est, quod mens humana tandem nō assequatur, prudenti consilio non referetur, nonne valdè sunt irridendi, qui, quia quorumdam effectuū manifestas caussas attingere nequeunt, propriā veluti auctoritatem fouētes, ab aliis easdem at-

tingi posse desperant? nec certè qui pulsuum causas non callet, eas debet omnibus indicare occultas, cùm & alijs possint esse cognitæ. Sed in horum fortasse pœnam, multa, omniũ æquissimus pensator Deus, his sapientibus occulta, paruulis, & insipientibus reuelauit.

Minùs eneruata, minùsque futilis illorum videtur sententia, qui humorum tractionem Columbis etiam tribuentes, eam à Columborum calore nostrarum partium calori simillimo fieri putant, quam sententiam non tam verisimilitudinis adornare pigmento, quam rationum momentis stabilire contendunt. Calidi enim proprium esse attrahere ex Philosophis, ac Medicis ferè omnibus supponunt esse probatum. Attractionem promptiùs, faciliùsq; à simili fieri vnicuique patere affirmant. Plantas pedum mirabilem habere consensum cum superioribus partibus, ventriculo præcipuè, ac cerebro, nemini, asserunt, esse ignotum. Quare si plantis pedum Columbi apponantur, facillimè à superioribus partibus, ad inferiora consimilem caliditatem attrahere valere, concludunt. At etsi inculcato sæpius similitudinis, caloris'ue nomine id enixè probare conentur, elusis tamen omnis eorum conatus esse videtur, nam rem non parui momenti suppositionibus concinnato argumento, nullaque ratione, vel auctoritate munito probant, confirmantque. Nec tantùm vanus esse argumentandi modus videtur, sed id ipsum, quod supponitur, nec à

Philosophis, nec à quibusuis alijs vnquàm dictum est. nec abs re esse puto in hoc perscrutãdo paulisper immorari, nàm etsi calori inesse quamdam vim attractiuam apud nescio quos vulgatum sit; perspecta tamen, ac benè re perscrutata, non sine maximorum, doctissimorumquè virorum consilio, ac præcipuè Adm. R. P. *Ioseph Mariæ Requesensij* Panormitani è Societate Iesu olim publici in Panormitano Gymnasio Philosophiæ, mox Romæ, nunc iterùm Panormi Publici Theologiæ Professoris, meique Præceptoris, viri longè doctissimi, ac magna variarum rerũ scientia instructi, tandèm à nullo magni nominis Philosopho, vel Medico id autumari cõpertum est, nec aliqua potuit, quæ ad rem, faceret, ratio, vel inueniri, vel excogitari. Si verò aliqua rationis vmbra esset, maximè esset, vel quia calor materias extenuando, & in tenuissimos conuersas vapores effundendo, est in caussa vt euanescant, & locum deserant inanem, quare ne detur vacuum, nouas videtur materias attrahere, vndè puto *Galenum* K dixisse *omnia, quæ materias dissipant attrahere, & quæ pariter attrahunt dissipare*; vel quia si repercutiendi vis frigori est insita, ac per eam ab ipso etiam influentes repellũtur humores, ità & calori attrahendi vis erit similiter, contrariorum lege, tribuenda: sic sola caloris opera, & non inanitatis periculo interiecto, aut substantiæ familiaritate compulsæ, venulæ æstiuo arefactæ calore ichores ad se trahunt, vt inquit, *Hippocrates*

K *6. de cõpos. medic. per gener. cap. 13.*

erates; l sic Tapsia cuilibet nostri corporis particulæ inhærens, sanguinem multoties ad eam sui caloris imperio conuocat; sic denique calor quam facillimè proxima quæque humida, tanquàm alimenta absumit, quibus absumptis ea, quæ succedunt, pariter allicit ad nutrimētum, & eousque non desinit calor ea successione quadam attrahere, quousque humorum copia in corpore exhausta est.

l *4. de rat. vict. in acut. t. 1.*

Verùm isti nec naturam penitùs perscrutati, nec caloris operam luculēter nosse vidētur, & quidem, qui ad inanitatem prohibendam cōcedunt calori virtutem attrahendi, dum calorem ità naturæ credunt obsequentem, illum potiùs faciunt repugnantem : calor etenim cū vim habeat ex se omnia, quæ peruadit, raritate quadam ampliandi, potiùs inanitatis omne arcet discrimen, quàm infert. vanum erit igitur fingere calorem ob hanc attrahere rationem; si eius, quod vocant vacuum, periculo vniuersa caloris actio sit vacua; hoc autem potiùs adscribi deberet contrario frigori, quod cùm omnia cogat, promptius est ad inanitatem perficiendam. Et sanè quis Philosophiæ, aut Medicinæ scientia instructus hoc audebit affirmare, si inflammata membra, dùm per calorem, vt ità dicam, ad se ipsa attrahunt humores plenitudine potiùs, quàm inanitate fatigantur? si vapores illi, qui nimia extenuatione euanescentes inanitatis inducunt periculum, alias partes rarefaciēdo inanitatem replent? si proximus aer, cùm

fit

sit humoribus mobilior, ac tenuior ad illud replendum vacuum attrahitur? si denique exinanita membra, ob substantiæ mollitudinem, quā habent, ne inane aliquod relinquatur spatium subsidunt, sibique ipsis cohęrent? haudquaquā igitur attrahit calor ob inanitatis timorem. Quibus addo, quod si ad euanescentis vaporis complendum locum accurrerent humores, tantum ipsorum deberet affluere, quantum eius loci capacitas exigeret, vt in alijs experimur; at ad calentia membra tantus fit humorū concursus, vt non solùm affectam partem, sed proximas omnes replendo distendat.

Repercutientis deindè frigoris argumentū, attrahentem calorem, haud facilè suadebit, nisi & modū, quo frigus repercutiat, designemus: quandoquidem hoc pacto contrario modo calorem attrahere, contrariorū lege, inferentes, argumentum simul, ac veritatis sensa aperiemus. Et sanè frigus insita quadam vi, sibique propria non repercutere, atque repellere probatur ex eo, quod motio nullo modo propriè frigori potest tribui, quod omnia reddit immobilia, at repercutiendi, repellendique actio ad motionum genera pertinet. Probatur, quia neque potest dici repelli omnia ob cōtrarietatē, quam cum frigore habent, cuius fugiunt aspectum: nàm hoc modo frigus frigida non repelleret, cùm non sint illi contraria; imò & eadem ratione calor omnia sibi repelleret contraria, quod nemo dixit, neque vllus Medicorum au-

sus

sus est hùc vsque ad humores vel frigidissimos repellendos caloris operam adhibere. Quare omnibus hisce modis exclusis per vnam concretionem frigus repercutere est dicendum; q certè nec abs re, nec à ratione procùl videtur; nàm concretione liquores velut compedibus vinciũtur, concluduntur semitæ, arctantur viæ, & influentium conceptacula, tamquàm clauibus obserantur, quibus omnibus feruet repercussio. concretio siquidem est, quæ ventris calorem arctius per hyemem continens tuetur, augetque; vapores ex aeris non infima regione demittit; summum terræ, ac aquæ frigus emollit; rapidissimos fluminis impetus remoratur; omnia denique cogit. En repercussionis frigoris modum, en modum, quo calor aliquo modo attrahere possit dici, ad quem non præmeditatus deueni. nàm si frigus concretione repellit, vt contraria contrarijs referantur, calor liquefaciendo debet attrahere; vt enim hæret aqua conglaciata frigoribus, ità calore liquata labitur, ac in patentes deuoluitur aditus, quod patet ex eo, quod semper in calentibus membris maximus humorum percipitur cõcursus, quod prouenit ex liquata vi caloris humiditate, quæ ad calidas partes pondere suo fortassè delabens, illùc videtur caloris opera attrahi, cũ reuera solùm ab eo liquefacta, illhùc deindè sua opte nutu accurrat: siquidem calor, vt ait *Sanctus Thomas*, m quia per se tantùm alterat, loco mouere per accidens tãtùm potest; hoc modo dixit

m *de motu cordis opusc. 35. cap. 83.*

dixit Hippocrates n inflammatas partes, dũ proximas liquatas materias, ac ad illud loci decumbentes, recipiunt, trahere quæ influunt. atque ità docuit *Galenus* o Tapsiam, & calida omnia per calorem, qui in ipsis viget, fluxiones caussare, quæ excurrunt, quo ipse calor viam parat, dùm caloris ministerio liquescentes humores, vijsque ampliùs reseratis suo quasi pondere incitati feruntur. Neq; valet asserere arefactas venulas ichores trahere: nã etsi hoc non inficior, nego tamen caloris opera id effici, cũ suarum fibrarum ministerio hoc munus absoluant, qua ratione solent etiàm familiaria alimẽta attrahere, vt communis docet Medicorum schola: propterea in his venulis exhaurit humiditates potiùs calor, quàm allicit. rursùs quòd humores ad calorem videantur conuerti, non prouenit ex calore, sed ab animata substantia, quæ illis alitur humiditatibus: calor siquidem in animalibus, vt habet veritatis Doctor S. *Thomas* p ex *Aristotele* q non semper mouet secundùm ignis naturam, sed secundùm quod mouetur ab anima. sed iam mihi satis videtur soluta, ac impugnata vulgarium quorũdam argumenta, quibus probare nituntur, caloris attractionem, sic potiùs mihi videtur satis enodata huius rei veritas: nam ea quæ videtur in calentibus partibus humorum tractio, non est vera attractio, sed humorum concursus, cum humores à calore liquati põdere suo suopte nutu ad vias, quas sibi calor aperiendo, parat, affluant, accurrantq;

n 4. de ration. vict. in acut. t. 27.
o 2. de differ. feb. capit. 11.
p in 1. de gener. & corrup. lectio. 24. t. 84.
q 2. de anim. t. 37.

rantque.& quidem hanc veram non esse attractionem; patet ex *Aristotele*, r qui requirit ad veram attractionem, & vnionem trahentis, & tracti, & motum celeriorem in trahente, quã in eo, quod trahitur; propterea *Ioannes de Ianduno* ſ Philosophus acutissimus putauit, attractionem, qua Magnes ferrum attrahit, non esse veram attractionem, & ex mente *Aristotelis*, sed impropriè: nam attractio est motus ab alio, & non à se, at cùm Magnes trahit ferrum, ipsum ferrum quodammodo mouet se ipsum ad Magnetem. Cùm igitur humores isti à calore liquati moueant se pondere suo ad calorem ipso quiescente calore, haudquaquam erit dicendum, calorem verè, & propriè attrahere. Atque hinc patet, primam vulgarium suppositionem, qua ex Philolophis, & Medicis supponunt probari calorem attrahere, fallacem esse, ac inanem.

r 7. phys. t. 10.

ſ li. 7. physic. qu. 4.

Quid autem dicendum est de secunda suppositione, seu de Columborum calore nostro natiuo simillimo, quod omnibus patere affirmant? Respondemus, multùm æquiuocè loqui hos Auctores, ac omnia confundere, cùm Columbos omnes calorem habere nostro simillimum, non omnibus liqueat, sed tantùm eos Columborum pullos, qui iam volare cœperunt, qui quidem non admouentur pedibus horum, qui prauis supradictis læduntur sympthomatibus, vt inferiùs dicemus. neque si omnes huiusmodi calore præstarent, & isti dissecti pedibus

Y admo-

admouerentur, calorem per similitudinem traherent; non solùm quia horum calor Colūborum trahens non mouetur ab ipsis Columbis: at ad attractionem trahentis celerior debet esse motio, ea, cuius trahitur, vt ex *Aristotele*, & *Ianduno* diximus; non solùm, quia non posset assignari disparitas, cur cùm eiusdem intensionis sit calor Columborum, ac corporis affecti, cùm sint simillimi, non trahitur calor Columborum à calore hominis, eò præcipuè, quod hominis calor est viuens; verùm etiam quia Columbi sunt mortui: at viuentia solùm sunt quæ ob similitudinem attrahunt: nam si simile à simili attrahitur, quia simile à simili appetitur, vt dicebat *Aristoteles*, t vt appetitus, vel indigentia expleatur, appetitur autem ob mutuam similium conseruationem; & quia necesse procùl dubiò est alterum ab altero dignosci, allici, & commoueri, cùm certa quadam distantia id absoluant, idcircò ea tantùm possunt per similitudinem propriè attrahere, quæ aut cognitionis modo aliquo sibi similia, & indagare possūt & attingere, aut id habent ab animæ viribus, vt non sint attrahendo imparia, quo sensu ab Animātibus dicimus attrahi medicamenta. Impossibile siquidem mihi videtur preter animæ vim alterum, quo similia attrahantur, modum inuenire. Hinc fit quod humor melancholicus à terra, humor pituitosus ab aqua, imò ouum ab ouo, vt commune fert adagium, aqua ab aqua non trahitur; quia scilicet sunt inanima, non

t 8. Ethic. cap. 1.

quia sunt eadem, vt falsò dixerunt nonnulli; cū conseruatio faciliùs fit ab ijsdem, quàm à similibus: faciliùs enim eadem ab ijsdem generātur, quàm à similibus. Confutatur tandem hæc suppositio, quia ex hac solùm infertur, calorem nostrum natiuum trahi à Columbis, ob maximam similitudinem, quā inter se habent, quod quidem falsum esse ex ipsamet horum Auctorū patet sententia, qui intendunt probare Columbos pedibꝰ admotos trahere prauos, malignos, ac venenatos humores, cùm quibus nullam habent similitudinem, & non calorem natiuū. Et sanè quam vtilitatem Columbi præstabūt, calorem natiuum attrahendo, exauriendoq; hinc verò potiùs salutem imminui, patet cùm calor, in quo consistit virium validitas, imminuatur, alibique deferatur; hinc etiam symptomata liberiùs in partes principes ascenderent, aliaque id genus mala caussari, ac tandem mortem prouenire dicendum est.

Venio ad tertiam suppositionem, qua nonnulli ex vulgaribus asserunt, Plantas pedum mirabilem habere consensum cùm principalioribus partibus ventriculo, & cerebro, quæ quidē suppositio licet verissima sit, nil tamen facit ad conclusionem, & certè quid facit hic consensus, si calor verè non attrahit, si Columborum quæ apponuntur, ac dissecantur calor non est similimus calori humano, vt dicemus. Neque igitur valebit consequentia: cùm ex falsis deducatur principijs.

Denique recentior fertur in hac re nonnullis ascripta sententia, qui, cùm vidissent huius euenti caussam, vel assignatam nullam, vel nullo modo probabilem, illam ipsi adinuenerunt; dixerunt siquidem, Columbos non per se trahere, sed ratione Sinapis, cuius maxima copia secti insperguntur, pedibusque à complurimis applicantur. Sinapis autem calidissima, & acris cùm sit, qualitate sua mordenti maximam attrahendi vim habet; excessu nàmque calefacit, quarè & rarefacit partes, quas pertransire debet humor noxius, & resoluit, dissipat, attenuatquè humorem ipsum, vt promptiùs excurrat. Verùm etsi dicatur hac ratione attrahere, Sinapis; haudquaquàm tamen attrahit, sed solũ humores liquat, qui liquati pondere suo deorsùm feruntur, eo modo, quo de calore diximus. propterea etsi nonnulli ex Auctoribus eam attrahere affirment, impropriè tamen loquuntur non de vera attractione; quibus addo, quod nõ omnes sinapem apponunt, & tamen idem habetur iuuamen.

Sed quandò nequit ingenium his aliorum opinionibus acquiescere, certiorem sententiam indagemus. illud igitur erit pro hac re generaliter nobis statuendum. Columbos nimirùm verè, & propriè neque per se, neque per accidens attrahere, competere tamen vbi noxij, venenatique humores principes petunt partes, Cor præcipuè, ac cerebrum. Vt autem hæc omnia ratio ipsa confirmet, paulùlum quæso, altiùs

quæsito exordio, digrediatur Oratio.

Ea est mira naturæ vis, ac dispositio in humani corporis partium constructione, vt non solùm inter se, sed in totius etiam vtilitatem mutuis consentiant officijs: quarè omnium magister *Hippocrates* u hunc admirans omnium partium consensum, ait *confluxio vna, conspiratio vna, omnia consentientia*, eos omnes partiũ cõsensus ad tres redigens partes, nempè ad confluxionem per venas, & arterias, conspirationẽ per neruos, consensum per certos alios corporis meatus; confluxionem per venas, & arterias; cùm ipsis notabiles insint cauitates, per quas facillimè sanguis, spiritusque confluit, præcipuè si tales interpositæ sint venæ, quę recto tramite sint collocatæ; conspirationem per neruos, cũ per hos animalis vis ad particulas corporis deferatur; consensum denique aliquorum meatuum: cùm & in multis horum mirabilis conspiciatur consensus, qui aut manifesti sunt nobis, vt intestina, & notabiles aliæ cauitates, aut occulti, qui scilicet minimè sunt conspicui, per quos occultæ quædam exoriuntur sympathiæ, quæ ignotæ in maximam admirationem nos ducunt.

u *Libr. de aliment.*

At si mira sint vbique hæc naturæ opera, quam admirationem non pariet, videre maximum consensum, quem extremæ manus, & pedes habent partes cùm internis visceribus, quæ ab illis omnium maximè distant? cuius rei nullã aliam puto assignari posse rationem, relíquis

alio-

x libro 3. contempl. medic. c. 4

aliorum omissis, breuitatis gratia, opinionibus, nisi eam, quam assignat *Fortunatus Fidelis* x celeberrimus vir, ac Panormitanus ciuis, quia scilicet manus, & pedes cùm sint extremæ corporis partes, ad eas confugiunt vasa omnia, & venæ, & arteriæ, & nerui, & meatus, ibiq; in multos & paruos ramos dissecta terminantur, quæ omnia in alijs non conspiciuntur partibus. atq; hinc est, quod partibus hisce affectis õnes corporis afficiãtur partes, vndè & titillatis blandè plantis pedum, ridemus. & hinc est, quod quæcumque remedia partibus hisce admoueantur, semper totum corpus benè affici sequitur: cùm per venas hepati, per arterias cordi, per neruos cerebro; facultatem suam promptè communicẽt; quamobrem non debet videri aliquibus ridiculum, si pedum lotio capitis soluat grauitatem, vt dixit *Cardanus*, y si pedum vnctionibus ad venerem concitandam *Auicenna* z vtatur; si pedum firmitatem ad robur genitalium maximoperè cõducere *Aristoteles* a doceat; si ex structura manus dispositionem hepatis conentur arguere *Auicenna*, b & *Rasius*; c si in vigiliarum molestijs manus, & pedes soporiferis illini inunctionibus dixerint nõnulli; si deniq; pro principum partium affectionibus medicamenta in partibus hisce extremis posse adhibere non vereor affirmare: cùm id etiam à magnæ fidei Medicis, summæque doctrinæ fuerit & dictum, & obseruatum.

y in cõm. lib. 5. aph. 12.
z 20. 3. tract. 1. c. 17
a 4. problem. 5.
b 4. 3. tract. 2. c. 3. et 30., & 21. doc. 3. sum. 1. tra. 1. c. 20.
c 17. cõt. c. 1. et 2.

Si mirus igitur habetur hic plantarum pedũ

cùm

cum principibus partibus consensus, non erit mirum asserere, Columbos dissectos pedibus inhærentes incredibile afferre iuuamen ijs, qui febre affecti prauis, lethalibusque afficiuntur symptomatibus cor, & cerebrum summoperè vexantibus; quod quidem iuuamen non afferunt venenosos illos attrahendo humores, vt nonnullos falsò putasse diximus, sed caliditate sua, qua pollent, illos liquando, qui liquati cor, & cerebrum lethalibus illis affectionibus liberum relinquendo, grauitate sua ad partes inferiores, pedesque descendunt. Nec tàm vobis durum, ac difficile videri debet, Columbos ità in caliditate excedere, vt tantam vim liquandi habeant humores, vt quibusdam ità durum hoc credere, videri, audiui: patet enim variam esse naturam Columborum, pro vt varia est eorum ætas, sexus, regio, tempus: tempus siquidem, nã qui æstate nascuntur calidiores sunt, quapropter æstiuo tempore natæ improbantur æsui ab *Aristotele*; *d* Regio etiam Columborum variat temperiem: nàm in calidissimis nati regionibus calidissimos esse, nulli dubium esse video. imò siluestres Columbos calidiores esse domesticis, ac sanguinem calidiorem gignere, patet manifestè ex *Galeno*, *e* *Cardano*, *f* & sexcentis alijs; variat pariter sexus: quandoquidem liquet omnibus mares calidiores esse fæminis. variat demũ ætas: cùm omnes decernant Auctores veteres Columbos calidiores esse recenter natis; si igitur Columbi veteres iuniores in caliditate ex-

d lib. 5. de hist. anim. cap. 13.
e libr. de victus rat. in morbis acut.
f lib. 3. de sanit. tuenda c. 16. de Columb.

cellunt

cellunt, nemini videbitur mirum eos habere vim liquandi humores, vt diximus. nàm qui apponuntur pedibus Columbi veteres sunt, non recenter nati, nec mediæ ætatis, vt docent, obseruantque communiter Medici omnes. & ne videar gratis asserere, veteres columbos calidiores esse iunioribus, iuniores etiã calidos esse, en vobis magnus ille, ac admirãdus Cous *Hippocrates* g de volucriũ generibus, qui rem se habere sic dixit *omnia fermè volucriũ genera sicciora sunt quàm quadrupedia. Quaecumque enim vessicam non habent, nequè mingunt, neque sputum, aut saliuam fundunt, omninò sicca sunt, propter caliditatẽ enim ventris, humiditas ex corpore consumitur in alimentum caliditatis, quarè neque mingunt, neque sputum, aut saliuam fundunt.* Cui autem *tales humiditates non insunt, id ipsum necessariò siccat. Siccissima igitur caro est palumbis, deindè columbæ, tertiò loco perdicis &c.* sileãt igitur qui asserunt, nõ deduci caliditatem in Columbis ex vessicę fellis carentia, cùm contrariũ ex *Hippocratis* dictis deducatur. *Aristoteles* h etiam vt habet *Vincentius Belluacẽsis*, i Columbos calidissimos esse dixit, quarè & lapillos propter stomachi temperantiam comedere affirmauit. *Rasius*, quem *Belluacensis* k citatus refert. Colũbos sicut passeres vehementis, ait, caliditatis esse, sanguinem inflammatum facere, & febres. *Galenus* l quoque citatus à *Ioanne Baptista Cortesio*, m columborum pullos, qui iàm volare cœperent, vt explicat *Cortesius* citatus, ob suam, qua pollent, cali-

g *lib. 2. de dieta t. 8.*

h *3. de parte anim. cap. 7.*

i *in spec. natur. lib. 16. c. 36.*

K *cap. 58*

l *2. de cõpos. medicam. cap. proprio, et de sanita. tuend. c. 6.*

m *par. 1. prac. med. de cur. dolor. cap. ob ebrietat. & quandov.*

calidit atem, virtutem habere attenuandi docuit. *Isaac* n etiam scribit ex *Galeno* Columbos esse calidæ, & siccæ naturæ. *Hieronymus Cardanus* o ità calidos eos esse putat, vt eos calidis natura prohibeat, præcipuè in æstate nisi refrigerantis alicuius additione eorum caliditas attẽperetur, quarè hæc protulit. *Parari etiam solent æstate elixi ex omphatio, ne sua caliditate biliosos lædant, estque pituitosis conuenientissimus cibus, sunt enim calidi, & sicci, & siluestres plurimùm, licet iuuencen nati, & præpingues humidiores sint: ideò calidioribus natura sine additione alicuius refrigerantis non debent exhiberi; referuntque eorum copiosum vsum Anginam excitare, credo ob calidiorem succum quem generant, & febres quoque, & alios calidos affectus præter naturam.* Febres tandem putridas, ne tædiosus videar, aliosque calidos generare morbos eorum vsum dixerunt *Vueckerus*, p *Christophorus à Vega*, q *Daniel Sennertus*, r aliique complurimi. videre igitur N, si calidi non sunt Columbi, si innumeri, (cùm præter allatos innumeros omisissem, ne in immensum excresceret Oratio, quos per otium potestis consulere) primæque notæ Auctores mecum non sentiant? quarè solùm remanet summorum virorum auctoritate, ac ratione probare veteres Columbos calidiores esse, sed certè tempus non sufficeret, si omnes hic afferre vellem Auctores, qui hoc asserunt, aliquos tantùm idcircò afferam, & primò *Paulum Aeginetam* s qui de Columbis loquens, hæc habet *in totum iuniores*

n *Lib. 1. de dict. vniuers. c. 2.*

o *Libri 3. de sanit. tuend. capit. 16. de columbis.*

p *Libr. 1. syntax. p. 3*

q *Lib. 2. de arte medic. c. 10.*

r *Lib. instit. med. p. 1. c. 3. de alim. facult. §. Columbor.*

s *Lib. 1. c. 82.*

veteribus humidiora sunt, promptiùs concoctioni parent, valentiorem cibum præstant, atque per aluum facilè descendunt. secundò *Iulium Alexandrinū*; t qui in cibis ait *Iuuenes Columbæ commendantur: nàm vetulæ, vel nimis adultæ ætatis, caliditate nimia, & siccitate aliqua rectè improbantur:* tandèm *Arnaldum Villanouanum*, u qui postquàm diuisit volatilia in ea, quę sunt laudabilis, ac illaudabilis nutrimenti, facilis, ac difficilis nutritionis, ac temperatæ, & distemperatæ complexionis, omnia numerando venit ad Columbos, & ait *reliqua autem volatilia laudabilia distant plùs à temperatis, puta Columbæ iuuenes, & Turtures: nàm earum antiquarum carnes sunt euitandæ propter caliditatem nimiam, siccitatem, & digestionis difficultatem. Antiquæ enim Columbæ mirabilem habent proprietatem ad Epilepsiam, & Paralysim, horùm tamen pulli sunt conuentiores sanis; sed declinant ad caliditatem, & siccitatem, & debent euitari in complexione, regione, & tempore calido. Aues autem minutæ, vt Alaudæ declinant etiam ad caliditatem & siccitatem, sed non tantùm vt Turtures, & Columbæ.* quibus ex verbis infero, p caliditatem maximam antiquorum Columborum: nàm si aues minutæ non sunt temperatæ, & sunt calidæ, non quantùm pulli Columborum, si veteres columbæ calidiores sunt iunioribus, nimia debent constare caliditate. Maneat igitur id quod probare voluimus, summoperè conferre antiquas columbas dissectas, pedibusque admotas ijs, qui lethalibus afficiuntur sympho-

t Lib. 7. de ... in anno tat. lib. 8. Therapeu tices Methodi c. 2. circa finē
u Libr. de Regim. sanit. c. 19.

p ... Lib. 1. ... synaxis p. 3. ... Lib. de aëre me ... dit ... 7 ... p. ... c. ... cap. 5. ... iumbor.

 ptho-

pthomatibus cor , & cerebrum vexantibus, cùm nimia qua pollent caliditate, prauos, venenososq; humores partes illas petentes principes, liquefaciendo, faciant vt humores liquati, corde & cerebro relicto libero, ponder e suo ad inferiores partes, pedesque descendant.

Hinc ergò colligere licet quàm præstans, ac vtile hoc Columborum remedium sit, quàm oportunus sit illorum applicandorum vsus, quod rationibus, similitudinibus, auctoritatibus prout res ferebat, satis confirmatum, comprobatumque esse video. Tandèm hæc me dixisse vos nescire nolim, non vt veritatis inimicum, & calumniatorem, rerumque nouarum amatorem; sed boni publici, ac Artis Medicinalis studio singulari, quod à vobis æqui, boniq; faciendum esse non vereor, qui ingenuitatem meam, ac nulla animum malignitate affectum nouistis. Dixi.

Hydrops An à cauſsa Frigida Proueniat, & Quomodo Curandus.

DISCEPTATIO NONA.

NIHIL in natura ſine natura, ideſt, cauſſa naturali fieri, vulgatum eſt apud omnes N, N, ideòque Peripateticorum Princeps multa in naturæ maieſtate abdita eſſe, quæ nec demonſtrari, nec ſciri poſſunt, putauit. & quidem plurimorum cauſſæ nos latent, quorũ veritas eſt certa: horum enim ineffabiles cauſſas, atque reconditas, longèque noſtra cognitione profundiores ſacro inuolucro operit natura. quot ſunt, quæ nos intelligere, aut audire non licet? quot, quæ imperitum vulgus miracula eſſe credit, ſapiens verò rei primùm magnitudinem admiratus, volens tamen animum explere, cauſſas perſcrutatur, nec quieſcit, donec eas omninò cognitas habet? quot ſunt denique, quæ plebs ignara corticem tantummodò rerum conſiderans, vulgatæ cauſſæ falsò tribuit, quæ ſapiens, qui rerum meditullium trutinat, veriſſimas earum cauſſas aſſignat? quarè non eſt mirum ſi Medicorum vulgus Hydropem abſque Hepatis læſione dari neget, cùm tantùm ſolùm ventris ſuperficiem tumidam proſpiciens, huius morbi corticem ſo-

solummodò cognoscēs, cùm à sanguificatione læsa oriri existimet; & quia nulla potest haberi recta curatio ni affectus natura, & caussa cognoscatur; non est mirum si futiles, acinanes sunt plerũque curationes, si inutilia medicamenta, si nemo aut certè paucissimi hoc miserando affectu liberentur, cùm tantùm huius morbi caussam in lęsa Hepatis sanguificatione ob caloris natiui diminutionem reponens, inter incurabiles morbos Hydropem reponat. Nos autem qui salutarem hanc Academiam, ad salutem omnium adipiscēdam instituimus, non erit abs re veras Hydropis caussas inuestigare, vt, illis cognitis, facilè vera præsidia possimus adhibere, cùm cuicumque innotescat, quod non solùm cognita caussa cognoscatur effectus, sed & recta percipiatur curatio.

Et vt indè exordium breuis nostra desumat Disceptatio. est sciendum, nos hic non loqui de particularibus intrà cutis aliquam partem collectionibus, vt de Hydrope capitis, qui vulgo Hydrocephalus nominatur, de Hydrope Pulmonis, Thoracis, Gutturis, Bracchij, Manus, & similium, qui fuerunt obseruati, & quotidiè obseruantur à Medicinæ professoribus; sed tantùm de eo Hydrope est agendum, qui ex tumore in toto Abdomine, vel in vniuerso corpore nomen Aquæ inter cus, siuè inter cutem suscipit. qui quidem, vt distinctius procedamus, tripliciter potest euenire, cùm triplex solummodò inueniatur caussa Hydropis. materialis

rialis

rialis Aqua scilicet, Flatus, & Pituita; quarum prima constituit Ascitem, secunda Tympanitem, tertia Anasarcam. quæ caussæ materiales, etsi maximas videantur habere inter se differentias, non ideò tamen ità differunt, cùm magis & minus non variet speciem. Ex his autem Ascites præcipuè dicitur Hydrops cuius præcipua est species, vt habet *Leonardus Iacchinus* a cæteræ verò species per huius similitudinem; atque adeò Ascite laborans absolutè dicitur Hydropicus, & hanc ferè intelligunt Doctores, dùm absolutè Hydropem nominant.

a *in 9. Rhasis cap. 22*

Habita igitur caussa materiali accedendum est ad caussam efficientem, de qua noster instituitur sermo. pro qua re vulgata est, & peruetusta Medicorum sententia, omnem Hydropem accidere Hepate primario læso in sanguificatione ab eius frigida intemperie. fuit *Galeni 5. de loc. affect. cap. 7., 7. eiusdem cap. 1., 6. aph. 12., & 42., 2. prognost text. 1., & 2., 4. de præsagijs pulsuum cap. 9.* & alibi; *Galenum* sequuntur *Aetius tetrabili 3. serm. 2. cap. 20., Paulus lib. 3. capit. 48., Auicenna lib. 3. fen. 14. tract. 4. cap. 4.*, & innumeri Medicorum. ducuntur autem in hãc sententiam ex Hepatis officio, cui communiter tribuitur sanguinis generatio medio natiuo calore, cùm igitur in Hydrope Hepatis sanguificatio vel non fiat, vel improbè fiat, concludunt, necessariò iecur laborare, & quidem intemperie frigida.

Verùm ni fallor, aberrant toto cœlo, nam

si hoc esset, semper in sectione Hydropicorum fuisset Hepar inuentum læsum: hæc enim Hepatis intemperies non à leui aliqua eius alteratione oritur, sed ab eius calidi extinctione, vel absumptione, quam caloris, & qualitatum deperditione Hepatis talis mutatio sequitur, vt hepar malè affectum fuisse intuenti apertè pateat; & tamen innumerabiles sunt Hydropicorum historiæ, in quorum dissectione saluũ hepar fuit inuentum. Narrat *Schenckius b* virũ quemdam sexagenarium diu à flatibus, & anhelandi difficultate molestatum in Ascitem tandèm incidisse, eoque mortuum esse, in cuius cadaueris apertione hepar nihil ferè à sana hepatis constitutione differre visũ est, nec quidquam in eo, vel alio viscere vitij notare oculis se potuisse; *Vesalius c* refert, se secasse Hydropicum, in quo lien, & omentum inuenit corruptum, iecore saluo. *Mauricius Cordæus d* testatur se in Hydropici dissectione illæsum reperijsse hepar, lien autem offensum; quarè vulgarium Medicorum ignauiam admiratus, ità loquitur *in hac Parisiensi Asclepiadarum familia percelebri magnus, & frequens est numerus; Medicorum caterua vbiq; sunt multa, atque conueniunt; vix verò inter eos vllum reperies, cui non contigerit, Hydropicum cadauer aliquod euiscerare. quid verò in illis commento superiori simile reperies? Integrum est in multis hepar ex omni parte, quibus exortus est Hydrops ab aquoso liene. Io. Baptista Van Helmont in Ortu, & Progressu Medicinæ*

b *lib. 3. obseru.*

c *cap. de liene*

d *lib. 1. de morb. mul. comm. 5.*

innumeras refert Hydropicorum dissectiones, in quibus insōtem hepatem reperijsse testatur: sed quid in experimētis moror? desunt ne *Hippocratis* auctoritates? *lib. de victus ratione in morbis acutis* habet *generatur Hydrops etiam à splene cùm ægrotauerit. lib. de affectionibus* circà medium dixit *aqua inter cutem fit plerùmque, cùm quis ex longo morbo, impurgatus multo tempore manet; corrumpuntur enim carnes, & liquantur, & fit aqua. Fit etiam Hydrops à splene cùm ægrotauerit, & ab hepate, & à pituita alba, & à dissenteria, at lienteria. 7. epidem.* affert Ctesiphonē Hydropicum factum, ac splenicum ex febre ardenti multa. *lib. de aere, aquis, & locis* testatur non accedente aqua, & tempestate circà canis exortum, nec Ethesijs spirantibus periculum esse ne pueri, & mulieres moriantur, minime verò senes, & ne, qui superstites euadunt, in quartanas desinant, & ex quartanis in Hydropas. *2. epidem. sect. 1.* supponens Hydropem ēt ex liene dari, inquit. *qui verò à splene sunt, tùm Hydropes, tùm morbi regij nigriores sunt. lib. 1. de morb. mul., & 4. de morbis* scribit generationem Hydropis ex splene; cùm præter vsus lienis à *Galeno* descriptos doceat illū esse aquæ fontē, & conceptaculum, qui mirum in modum ea gaudet, quam à ventriculo per eumdem ductum per quem transmittit succum melancholicum in eius fūdo attrahit, sicuti ab intestinis. quod etiam confirmat *Galenus*, seù Auctor ille *de respirationis vsu*. Contingit siquidem vt lien sub-

subæ grotans præter modum aquam attrahat à ventriculo, & intestinis, quam si non transmittit vel per ventrem, vel per vrinam, descendit in omentum, & fit Hydrops hepate illæso; aliquandò verò virtus lienis aquam alliciens debilis existit, & aqua non attracta in omentum defluit, vtramque facit Hydropem. Potest igitur prouenire Hydrops ex Hippocratis sententia absque vlla hepatis læsione.

Sed audio vulgares quosdam asserentes per consensum lienis hepar malè affici, atque adeò è hepate malè affecto solummodò Hydropem generari. Optima prima facie videtur respõsio, re vera tamen experientiæ, rationibus, auctoritatibus repugnat; experientiæ quidem, cũ præter allata, & innumera quæ possint adduci experimenta, testetur *Daniel Sennertus* e inter recentiores celeberrimus in Hydropico quodam, & simul Scorbutico omentum corruptũ, lienemque prauè dispositum hepate saluo vidisse; ad quam sententiam corroborandam affert *Ioannem Paschasium* f referentem mulierẽ quamdam annos natam quinquaginta laborasse Ascite sex annos, & ex casu in lapidem vẽtrem eius fuisse vulneratum, per quod vulnus cùm subitò omnis aquositas fuerit euacuata, incidisse quidem illam in animi deliquium, sed posteà in Xenodochio Patauino bonis alimẽtis assumptis pristinam recuperasse sanitatem; atque ità ratiocinatur. Si in muliere quinquagenaria hepar fuisset refrigeratum, vt Ascitem

e *lib. 3. pract. par. 6. sect. 2. c. 4. quæst. 1.*

f *lib. 1. de med. mor- bor. c. 34.*

generauerit, certè æconomia illius ità fuisset turbata, vt post aquæ euacuationē non potuisset tàm subitò sanitatem recuperare, quibus accedit & illud, quod *Beneuenius, Dodonæus*, & *Langius* narrant, quosdam aquæ potu largissimo ab Hydrope sanatos fuisse aperto vmbilico: nàm si hepar tàm valdè fuisset refrigeratū, non tàm facilè sanitati, aqua euacuata, fuissent restituti, præcipuè post aquæ potum largissimum. memini etiam me legisse *Bartholomæum Cabrolium* Anatomicū Montispess. plurimos sanasse Hydropicos per paracenthesim in ipso vmbilico prominente, idque in vtroque sexu. at sanè, si error esset in iecore, non posset iecur sanitatem recuperare post aquæ per vmbilicum emanationem. eadem denique ratione, credo equidem (nisi mea me fallat opinio) hepate illæso Hydropem plerùmque accidere, dùm considero quinquagenarium Hydropicum, quem refert eruditissimus *Zaccutus* g siti im misericorditer vexatum, largo aquæ marinæ potu, & copioso alui fluxu persanatum: non enim curari poterat, si iecur calore innato sanguificationis auctore fuisset destitutū, & *Io. Baptista Van Helmont* cit. qui testatur se bis mille Hydropicos sanasse, etiam quorum lotium iàm è cruento nigricaret, & tota nocte vix cochlear vnum minxerant, nō fatetur, illos numquàm sanare potuisse, si illorum hepar vel mediocrem, (& non mortalem) culpam habuisset? sed quid angor afferendo auctorum exēpla?

g *libro 2. prax. hist. c. 15. obseruat. 5.*

plæ? hoc ego ipse vsque ad præsens sum expertus in nobili quadam muliere, quæ duobus, aut tribus ab hinc annis lienis Scirro, & Hydrope laborans, priùs benè lactabat puerum, posteà ter concepit, gestauit in vtero, bis abortijt, semel vltimò peperit, & nunc vsque ad præsens ritè menstruat debitis temporibus in debita quantitate, & qualitate, quod si in hac muliere hepar fuisset læsum præcipuè in sanguificatione, vt asserunt vulgares Medici, ob deficientiam caloris sanguinem, qui inseruiebat, & pro carnosarum partium generatione, & pro alimonia fœtui haudquaquàm potuisset generare, sed solùm aquam, ac pituitam, neque nũc excerneret statis temporibus sanguinem purum, rubrum, & bonę qualitatis, sed si mẽstruaret, esset menstruum malignæ qualitatis, & sũmæ imperfectionis; hinc non desinam mirari *Ludouicum Mercatum* virum vndequaque eximium, qui *lib. 4. de internorum morborum curatione cap. 6.* affirmans, Hydropem à iecoris vitio necesse prodire; *lib. 3. de sterilium, & pragnãtium affectionibus* docet, posse fæminam Hydrope affectam simùl concipere citra fœtus, aut seminis corruptionem, quia aqua potiùs est inter omentum, & peritonæum, quam quod fætum, aut vterum attingat: nàm impossibile mihi videtur, hepar calore natiuo aliquo modo destitutum eam posse generare copiam sanguinis rubri, ac puri, quæ & pro seminis generatione, & pro alimonia fætui, & pro carnosarũ

partium materia esset suffectura, quod haudquaquàm euenit in hecticis, quę et si parùm nutriuntur, attamen hepar perfectum continent absque vlla caloris natiui deperditione.

Confirmant demùm nostram sententiam *Hippocrates*, qui *lib. 2. prognost.* docet Hydropẽ aliquandò ab hepate, aliquandò ab ilibus oriri. *Galenus* ipse, quem pro se citant aduersarij, qui *lib. 2. de naturalibus facultatibus capit.* 8. inquit *Iàm, qui nec vitio lienis, nec alterius cuiusquã particulæ, sed perpetuò ex Iocinoris scyrrho gigni Hydropem existimat, prorsùs secordis est hominis, nec quidquàm eorum, quæ quotidiè fiunt, intelligentis* qua *Galeni* auctoritate, quid ad rei veritatem demonstrandam clariùs, quid ad retũdendam aduersariorum pertinaciam validiùs inueniri queat? imò ex alijs quoque partibus posse Hydropem suam trahere originem, cùm non infimæ notæ auctoribus putamus, vt à colliquatione, vtero, vessica, renibus, & intestinis. Ex intestinis, si illa perforentur, & non subitò sequatur hominis mors, sed humor aquosus in abdominis cauitatem ex ijs exstillet, & ventrem in tumorem attollat. ex renibus, vel propter ingentem eorum obstructionem, aut maximã imbecillitatem, ità vt serum ad se nõ trahant, serum autem in corpore retentum facilè potest confluere in ventrem; vel propter eorum vulnus factum, vel ex incisione vesicæ, aut alia de caussa, quod si non rectè consolidetur, cutiquè cicatrix obducatur, interno vulnere adhùc hiante

hiante, per id exit vrina, & in abdomine cumulatur. ex utero, de quo mentionem facit *Hippocrates*, h omnesque ferè Doctores. à colliquatione, de quo loquuntur citatus noster antesignanus, i *Galenus*; k & innumeri Medicinæ Coriphæi. imò etiam ex sanguine, dari putat Hydropem *Hercules Saxonia*, l ac testatur se eum obseruasse in religioso viro, qui patiebatur Herniam & cùm semel factus esset intestinorũ prolapsus, repentè factus fuit Hydropicus, eodemque die tabidus; cùm verò post quatuordecim dies esset mortuus, in eius dissectione inuenit in ventre decem, vel quatuordecim libras sanguinis, quib9 euacuatis, vẽter ità detumuit, vt nulla ampliùs consisteret moles. Concludẽdum igitur est Hydropem non solùm hepatis vitio, sed & aliarum affectarum partium oriri posse.

h *lib. 1. de morb. mul. & libr. 4. de morb.*
i *lib. 1. epidem sec. 2. t. 35. & 36.*
k *lib. 3. de sympth. causs. cap. 2.*
l *libro 3. pract. c. 22*

Hinc est quod nonnulli doctissimi viri harũ rationum efficaciam, auctoritatum vim, experimentorum copiam considerantes, tamen quia à communi schola recedere criminosum putant, quæstionem hanc nominalem faciunt; neque verentur asserere collectiones humoris serosi in abdomine, quæ sine iecoris refrigeratione fiũt, im propriè, & spurios dici Hydropes. ità sentiunt *Andreas Laurentius consil. 5., Ludouicus Mercatus* citatus, *Petrus Garcia, Hercules Saxonia*, m alijque. Verùm etsi hac responsione Scyllim euadere putant, in Carybdim incidunt, & ex vna in plures, maioresque labũtur

m *par. 2. pract. med. §. 3.*

diffi-

difficultates; cùm hoc contrà Galen um sit, quē ipsi acerrimè defendere, & sequi iactantur: etenim textu citato secordes vocat, neque quidquam eorum, quæ quotidiè fiunt, intelligentes, negantes Hydropem alterius partis vitio, præter iecoris gigni posse. imò si hoc esset haudquaquàm verus eueniret Hydrops, sed semper spurius, & impropriùs, cùm numquā à sanguificatione hepatis læsa humoris serosi collectionem in abdomine, hoc est, Ascitem euenire posse existimem. sæpè enim Hydropicis, qui sanguificationis vitio hoc morbo affecti crediti sunt, hepar post mortem saluum repertum fuisse, fuit obseruatum, & rationibus comprobatur: nàm si in hepate serum illud gignitur, cur à venis non attrahitur, & in vniuersum corpus diuiditur, vt in Anasarcha pituita, sed in spatium intrà peritonæum extruditur? èo præcipuè quòd cùm vis attractrix se exercet, non discernit inter bonum, & malum succum, vt ex Galeno n habemus, sic aresactæ, calefactæque venæ attrahunt sæpè quod eis cedit in Erysipelas. cur ergò serosus, & aquosus humor sanguini tàm familiaris non vnà cùm eo in totum corpus per patentes vias, & indè ad renes adducitur? quo quidem pacto Hydrops numquàm generaretur; sic videmus multos, qui magnam aquæ, vel vini copiam ingurgitāt, nihil mali pati, dummodò aqua per vrinam, vt fieri solet, vel etiam per aluum liquidiorem excernatur. sic è conuerso legimus apud Hippocra-

n lib. 4. de rat. victus in princ.

pocratem o Bionem aqua inter cutem laborantem vrinæ stillicidio vexari,& in diutina ęgrorũ curatione obseruamus Hydropicos omnes vrinas reddere paucas, & eò magis offendi,quo largiùs bibunt,quod signum est ad renes in Hydropicis vrinam non peruenire.Huius caussam reddebat *Erasistratus* eius crassitudinem: putabat enim eam impediri propter iecoris obstructiones,sed meritò à *Galeno p* reijcitur: nàm si sanguis qui quotidiè in dissectione *Hydropicorum* obseruatur crassissimus hepar penetrat,ac venas, & in totum corpus distribuitur,cur serum eo tenuius easdem vias penetrare non poteſt? penetraret quidem, & per renes expurgaretur, quod numquàm est visum,& dictum à nemine, cum *Hydrops* inciperet potiùs ab eius multitudine, & non ab eius paucitate,vt quotidiè ferè in omnibus obseruatur;etsi ob venarum angustiam serum non ascenderet, cur potiùs humor ille à coctione defectus.vt aduersarij putant, viam faciliorem non teneret, & tamquàm lotura carnium recentium per ventrem feretur? cur per membranas irrumpit in abdomen, & per meatus lios,ac vsitatos cùm sanguine non procedit? mò si ex læsa sanguificatione fieret aqua illa in venæ sectione *Hydropicorum* aqua mera exiret,& tamen pluries est obseruatum maximam sanguinis copiam ex his prodire pauco sero dilutam, ac per plures dies bene coloratam perdurare absq; vlla corruptione.

o *7.epid.*

p *lib.5.de loc. affec. cap. 7.*

Neque verò *Hydropicorum* obstet exemplum, in quorum phlebotomia crudus, ac pituitosus, & multoties purulentus exit humor, etenim non qualibet *Hydropis* specie, sed tantùm Anasarca laborantibus huiusmodi exit succus, in quibus chylus in crudiorem, ac pituitosum sanguinem mutatur. mutatur quidem chylus in pituitosum sanguinem in Anasarcha, quia hepar est læsum in sanguificatione, læditur autem temporis progressu, & à calore præter naturam ab humore seroso purulento, ac corrupto excitato, qui calorem hepatis innatum extinguit, & suffocat, & à copia humoris, siue ab aqua circumfusa, quæ hepar suo ventilabro priuat; atque adeò deprauata hæc sanguificatio non est caussa Ascitis, sed potiùs ab Ascite generatur: cùm scilicet morbi progressu, & à vaporibus à calore putredinali excitatis, & ab aqua circumfusa lædatur. quod confirmatur ex eo, quod nũquàm Anasarcha, primariò accidit, sed semper Ascitem sequitur. at dùm de sanguificatione læsa loquimur, non possum illum, magis quidem vulgarem, licet Doctissimorum sensum, satis probare, quo sẽper per se, & immediatè à frigida causa lædi sanguificationem, asserunt, quia semper, & per se infrigidatur hepar. Ecquis obsecro vos hoc poterit probare? quis vestrum ignorat hepatis temperiem, siue innatum calorem sanguificationis auctorem in humorum productione non agere vt calorem absolutè, sed qua-

tenùs naturalis est: ità docuit *Galenus lib. ad Lycum ad finem* illis verbis *neque enim quicumque calor est naturæ operantis instrumentum, sed maximè commensuratus* quem innatum dicimus. nône moderantia illa sanguificantis caloris, tàm frigoris, quàm caloris excessu pariter amitti potest? igitur & infirmari vis iecoris, deprauarique primariò sanguificatio. sed de hoc forsã alibi, Deo fauente agemus.

Ex dictis igitur in eam deuenio sententiam cùm *Daniele Sennerto* citato, nimirùm ex cibo, potuque assumpto, plerùmque redundare hanc aquam in abdomine: experientia enim compertum est, quosdam à potu omninò abstinentes fuisse liberatos, Iulius Viator, eques Romanus, referente *Plinio*, voluntate sitim vincens *Hydropem* vicit, & cùm *Beneuenius* dixisset rustico cuidam *Hydrope* affecto, sanari eum non posse, cùm morbus iàm inueterasset, nisi vltrà non bibisset quàm vt vitam sustineret, Rusticus, quia dicto obtemperauit, & per annum nihil bibit, fuit sanatus. *Io. Baptista Van Helmont* cit. Comitissam de Falaix nouit, quæ dum iuuencula Hydrope tumeret, suasu cuiusdam Medici abstinuit ferè per solidum annum à potu, & euasit sana. Quia ergò neque ex sanguificatione læsa, neque ex viarum, quæ ab hepate ad renes sunt, angustia, collectionis serosi humoris caussam petere licet, & nihilominùs Hydropici parùm mingunt, & id, quod ad renes transire debebat, in abdomine subsi-

q *qu. 2.*

r *lib. 7. natur. histor. cap. 8.*

s *libr. de abdit. sanitat. & morbor. causs. cap. 13.*

stit, caussa inter ventriculum, hepar, ac lienem quærenda videtur, aquam, & serum, quod cibo, & potui permixtum est, in primis vijs subsistere affirmare est necesse.

Si autem porrò quæramus, vbi & qua de caussa subsistat: est sciendum chylum, & serum non per se spontè vel ad lienem, vel ad hepar, & hinc ad renes ruere, sed à partibus istis attrahi: cùm duo inseruiant viscera hepar scilicet, & lien ad chyli, serique distributionem, quæ serũ in chylo etiam ad se trahentia ad renes amandant; maior tamẽ pars seri, & aquæ, & quidem per vias viciniores: è ventriculo à liene attrahitur, vt diximus ex *Hippocrate* & *Aristoteles* cõfirmat t reliquum & quod distributioni chyli ad hepar sufficit, cùm eo simul ad hepar transit, & munere suo perfunctum, è vena caua ab emulgentibus venis allicitur, & per renes ad vessicam è corpore excernitur. læditur autem ista seri distributio facultate attractrice, aut expultrice vel læsa, vel impedita, vel ob errorem externum frustrata. frustratur ob errorem externum, cùm in liene præcisè plùs colligitur quàm vel allici, vel iterùm excerni possit; quod accidit, cùm lien ipse calidior plùs quàm decebat humorem attrahit aquosum, vel cùm in ingenti siti eximius hauritur potus. ità refert *Carolus Piso*, adolescentem, cùm in Tertiana dinieni perantiùs bibisset aquam sub eius declinationem in Asciten incidisse. ita narrat *Daniel Sennertus*, puellam, cùm in febre

t *lib. 3. de par. anim. cap. 7.*

tertiana vehementer sitiret, integram Cereuisiæ secundariæ mensuram vno haustu ebibisse, ac indè in Hydropem incidisse; ità sæpè messores, ac ij, qui in æstu aquam auidiùs bibunt, in Hydropem incidunt, aqua in abdomine remanente. Petrum Bourgum sutorem, & Lausanēsis incolam Hydropicū factū anno 1600. narrat *Guill. Fabricius Hildanus*, u quia messis tempore sub feruētissimo sole messorē agens propter sitis vehementiam aquam frigidam de repente ebibit; iure igitur dixit *Hippocrates* x morbum hunc semper ad splenem venire a potu vbi biberit homo.

u *cent. 2. obseru. 57.*

x *lib. 4. de morb. cit.*

Impeditur secundo seri distributio propter vasorum pressuram: licet enim attractrix per se non afficiatur, tamen si vasa, per quæ trāsit serū, sunt arcta, haudquaquàm fieri potest attractio, cùm non affluat id, quod debet attrahi, prouenit autem hæc vasorum angustia plerùmque ab obstructione à multis crassis viscidisque humoribus promanante, quamobrem diuturnas, & præcipuè quartanas febres interdùm sequitur Hydrops; quemadmodùm & scyrrhos viscerum; vt *Galenus* docet. y læditur denique facultas attractrix ex viscerum omnium calore immodico hepatis præcipuè, & lienis: dum enim calor est nimius colliquat, fūditque humores, ac crassos protinùs attenuat; sic videmus à solis ardore glaciem fundi, sic in febribus ardentibus ychorum vbertatem adesse *Hippocrates* ait 4. *acut.* augetur verò calor vel

y *lib. 2. de nat. facul. & lib. 6. de loc. affect.*

ex redundantia humorum præsertim ex mensium, & hæmorrhoidum suppressione, quare *à diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruatur, periculum est aquam inter cutem aduenire*, inquit *Hippocrates*, z quod legimus in Dione Cassio Traiano Imperatori eueniſſe, qui ob hæmorrhoidas retentas in Hydropem incidit, vel ab omnibus calorem viscerum dissipantibus, eorumque humidum primigenium absumentibus, ac exsiccantibus, huiusmodi sunt medicamenta nimis calida; vini potentis vsus continuus, febres ardentes, & similia.

z *libr. de hirund. & 6. apho. 12*

Hinc infero caussam Hydropis calidam solummodo esse & corruptiuam, numquàm verò frigidam, consulat quicumque *Hippocratē*, a qui caussas Hydropis omnes assignans, semper ex nimio calore diuersarum partium oriri affirmat. Hęc opinio est *Auenzoar*, b *Auerrhois*, c *Stephani Athenæi*, d Hieronymi *Cardani*, e *Felicis Plateri* f *Thomæ Campanellæ*, g *Iulij Cæsaris Benedicti*, h *Ioa. Baptistæ Van Helmont*, i & aliorum. Quam sententiam, etsi in Medicorum scholis minùs tritam, probo primò ex ingenti Hydropicorum siti, cuius immediata caussa est caloris exsiccantis copia, mediata verò humidi roridi defectus, vt ex *Galeni* k doctrina paucis percepta clarè deducitur illis verbis *Quippè cùm & sitis duplici ratione eueniat, altera caloris copia, altera humoris inopia &c* si quidē sitis hæc, quæ hydropicos omnes lancinat, non est naturalis, quæ à cibo ingesto mox insurgit; neque est nō natu-

a *libr. de intern. affectionib⁹.*
b *libro 1. tracta. 13. cap. 1.*
c *3. collect. 1.*
d *in comment. 2. progn.*
e *ibid.*
f *opusc. 3. pract.*
g *libro 6. medic. ca 16. art. 5.*
h *lib. 5. epist. ep. 8.*
i *loc. cit.*
K *libro 1. simp. cap. in init.*

naturalis; quæ ab humiditatum resolutione procedit: cum hoc tantùm in eo, qui fit à colliquatione haberetur, neque in principio cuiuscumq; Hydropis, sed progressu; sed est præternaturalis; quarè si preternaturam est, à calore debet excitari, & in siccitatem commigrare: quod si calida & sicca dispositio promptè labitur in sitim ex *Galeno*, [l] quem sequuntur *Paulus*: [m] & *Trallianus*: [n] vbi sitis inuenitur, calidam, & siccam dispositionem, quæ eam caussset adesse est dicendum: si igitur sitis adest in Hydropicis, Hydropem à caussa calida oriri, nemo inficiabitur. Neque valet dicere sitim nō quemlibet comitari Hydropem, cùm hoc sit falsum: nullus etenim verus datur Hydrops absque siti, vt agendo de signis dicemus. Probatur etiam eadem conclusio, quia impossibile est Ascitem à caussa frigida oriri, impossibile siquidem est ex chylo corpore composito, & heterogeneo aquam fieri, & vaporē à frigore, cuius nimirùm ingenium est incrassare, & congelare chylum, non autem in fluorem tenuiorem chylo, & in vaporē conuertere præsertim salsum; ad hoc enim vt crassus chylus in salsum humorem, & fumū vertatur, op' est vehementi calore: siquidem debilis calor fluores dulces, & quasi petrificos, crassosque producit, vt ex philosophis patet. Probatur pariter, quia humor, seu aqua, quæ generatur in Hydropicis, & residet in abdomine salsa est, & nitrosa etiam per aduersarios: salsedo autem, & ni-

l libr. art. med. c. 61. & 6. de locis affect. cap. 6.
m libr. 2. cap. 52.
n li. 7. c. 8.

& nitrositas non potest produci à frigore, sed à calore adscititio præternaturam calorem natiuum iecoris, & cæterarum partium dissoluente, ac proindè hepar, cæterasque partes refrigerante, earumque alteratricem vim debilē reddēte, eodem prorsùs modo ac in febribus, & in æstate facultates redduntur debiles ab externo calore: compertum est enim apud omnes voracissimum calorem trahere ad se minorem, cumque natiuus calor sit temperatus, vt diximus ex *Galeno*, & si ad extraneum conferatur, minimus dici possit, facilè à febrili dissoluitur, & vehementioris occursu dissipatur. sic sæpè à morbis acutis fit Hydrops ex *Hippocratis*, *Galenique* sententia, & ab inflammationibus principum partium hepatis præcipuè, & lienis: vt *Erasistratus* putauit; quamobrem *Galenus* o *haudsecùs* ait *hallucinari consueuerūt in ea quoque aqua intrà cutem specie, quæ ad acutos morbos sequitur, quippè ab his iecur calida, & sæpenumero sicca intemperie grauiter afficitur, vt cibum in sanguinem transmutare nequeat*. atque adeò in salsum transmutat humorem. semper igitur caussam calidam arguit salsus humor. imò si effectus in caussarum cognitionem nos deducunt, etsi ex collectione humoris biliosi in aliqua parte corporis, arguimus ibi caussam calidam contineri, ac ex coaceruatione pituitæ caussam frigidam; cùr, si contineri in Hydropicorum abdomine humorem salsum, & nitrosum omnes vnanimiter docent, Hydro-

o *lib.6.de loc.affect. cap.1.*

pem

pem omnem à caussa callida oriri inficiabimur? demum si Hydrops à iecoris frigiditate proueniret, semper in magna eius frigiditate homo Hydrope afficeretur, & tamen contrarium videmus: hepate enim refrigerato homo non peruenit ad Hydropem, sed ad fluxum vrinæ, ad inappetentiam, malum colorem, aliosque frigidos morbos; sic nemimem videmus in maximis sanguinis effusionibus, quæ contingunt per vulnera, fieri Hydropicum, & tamen ibi eximia est hepatis refrigeratio. Contingit è contra Hydrops ex renum imbecillitate sanguine non refrigerato, sed corrupto, deducitur ex vrinæ qualitatibus; quæ potius est calida, quàm frigida, vel saltem non est frigida pure, vt ex eius effectibus colligitur: resoluit enim flatus, est salsa, & acuta. Caussa igitur Hydropis est plerùmque putredo quædam, & caliditas, cùm plerùmque hæc adsint signa: imò si adesset hepatis frigiditas in Hydrope, semper medicamentis calidis iuuarentur ægri, quod est cõtrà experientiam. quod autem plerùmque etiam ex corruptione producitur Hydrops, præter quàm quod ex dictis manifeste apparet, tamẽ ex ipsomet humore seroso diffuso per crura, & ventrem in Hydropico, qui & colore, & odore assimilatur vrinę corruptæ, optimè infertur, & ratione à doctissimo *Hieronymo Cardano* p comprobatur: oportet enim serosam partem tamdiù contentam loco arcto, & calido, ac immobilem, tandem putrefieri, corrum-

p *libro 6. aphor. 8. in comm.*

rumpique. quod mihi eodem modo se habere videtur, quo menstruus sanguis, qui licet non differat ab eo, quo nutritur mulier, nec qualitate, sed tantùm quantitate peccet, tamen si statutis temporibus, & secundùm naturam non expurgatur, sed intùs & præter naturam diutiùs detinetur, putrefit, corrumpitur, ac veneficam acquirit naturam ex mora, & retentione in calido loco, ac in parte decliui, imò debemus dicere ab initio putridam esse, ac ex caussa corruptiua, originari: quandoquidem plerùmque generatur Hydrops, quã dò hepar serosum humorem non auget, sed corrumpit, ac quasi putrefacit, atque adeò etsi ad renes pellatur, illum non recipiunt, vt in ventrem redundet, est necesse: hinc est quod Hydrops numquã visa est initiari ab vrinę multitudine, sed à paucitate potiùs semper; hinc est quod Hydropici numquàm fiunt qui plurimùm, sed qui parùm mingunt, non quia vrina illis intercipitur, supprimeretur enim ex toto, sed quia non vrina, sed humor serosus putridus generatur, quo cùm non impleantur renes, venter impletur. Concludendum igitur erit non ex caussa frigida, sed saltem calida, & corruptiua facultatem attractricẽ, ac expultricem lienis, ac hepatis lædi.

Ex quo patet, quod Hydrops nõ debet medicamentis calidis, & siccis curari, vt facit vulgaris Medicorum manus, sed perscrutanda est caussa hepar, lien, cæterasque partes afficiens

cui

cui contrarijs obsistendum. hinc est quod pauci, ne dicam, nemo seruentur, etsi aqua sit semel euacuata, sed in idem recidant malum. nō enim omninò curantur: nō quia sanguificatio est læsa, vt aduersarij stultè putant, sed quia nesciunt applicare præsidia, vel quia vtuntur medicamentis potiùs caussam fouentibus, quàm eam delentibus, vel quia solùm intendunt euacuare aquam neglecta viscerum corroboratione, ad quam debet peritissimus Medicus summopere incumbere, cum semper supponatur membrorum naturalium imbecillitas, vt diximus.

Hæc volui adiecisse oportuno loco, vt *Cardani q* verbis vtar, quia vulgares Medici solēt occidere nostra ætate, cùm tamen ab initio omnes fermè possent sanari: quandoquidem curant omnes calidis, & siccis medicamentis, quæ in Hydrope cùm à caussa calida oriatur caussam augent: non enim indiscriminatim est in Hydropis curatione incedendum, sed priùs est videndum ex quanam caussa proueniat; cùm enim sit calida, & sicca refrigerantibus, & humectantibus debemus. ita *Alexander Trallianus. r* ita *Auicenna. ſ* ità nonnulli Medicorum docuere.

q *libr. 02. prog n. 2.*

r *lib. 9. c. 3*
ſ *libro 3. fen. 14. tr. 4. cap. 13.*

Verùm antequàm ad secundum institutum nimirùm ad curationē, accedamus, Hydropis differentias, signa, ac Prognosim non erit abs re afferre, vt ex quanàm caussa proueniat, percipere, & vera possimus adhibere præsidia. Dif

ferentiæ, vel ſunt eſſentiales, ſiue ſubſtantiales, vel accidentales, primæ à cauſſis efficiente, & materiali deſumuntur, ſecundæ ab accidentibus. Differt Hydrops quoad cauſſã efficientẽ, quia alia fit lienis, aut hepatis vitio, alia veſicæ renum, & ſimilium vt diximus; quoad cauſſam materialem, alia enim eſt cruẽta, & loturæ carnium ſanguine ſaturatæ ſimillima, alia loturæ carnium recenter mactatarum aſſimilatur; alia eſt flaua in nigrum vergens, alia lutea, & viridis, plerùmque eſt pallida, & citrina, & vrinam refert. primam obſeruauit *Scoliographus*, [t] ſecundam *Guilhelmus Fabricius Hildanus*, [u] tertiam *Chriſtophorus Guarinonius*. [x] quartam *Carolus Piſo*, & *Marcellus Donatus*, [y] vltimam denique paſſim Doctores omnes, quæ quidem omnes ſemper à cauſſa calida, vel corruptiua produci denotant. Differentię verò accidentales deſumuntur à tempore: nàm Hydrops alius eſt recens, & in principio, alius antiquatus. A coniunctis, vel enim eſt cùm febre, vel ſine febre, cùm tuſſi, alui fluxu, virtute valida, & ſimilibus. alius eſt per ſe, alius per conſenſum, aliosque ſequitur morbos.

t *ad c. 39. libr. 1. de intern. mor. Hollerij.*
u *cent. 2. obſeru 57*
x *conſult. 194.*
y *lib. 4. de hiſ. medic. admirab. cap. 21.*

Quod ſi de ſignis loqui velimus, dicimus alia eſſe vniuerſalia, alia particularia; ſigna vniuerſalia ſunt, color faciei deprauatus, tumor pedũ, ingens ſitis, anhelitus difficultas, inappetentia, vrinæ ſtillicidium, plerùm que demùm febricula aliqua. Deprauatur color faciei, quia calor innatus hepatis ſanguificationis auctor ſuffo-

catur

catur ab aqua circumfusa, vel dissoluitur à calore præternaturam, vt dictum est, atque adeò non potest producere sanguinem ità purum, nec in tanta copia, vt ad omnes corporis partes efferatur, propterea partium omnium viuacitas non recreatur. Inflantur pedes, tùm quia aquosus humor grauitate sua ad infernas descendit partes; tùm quia, cum sint partes remotissimę à caloris fonte, cùm langueat calor naturalis, languidior est in pedibus: calor etenim naturalis, cùm sit agens naturale, magis agit in partem proximam, quàm in remotam, cùm verò manus non sint ità ræmotæ non tument, ideòque earum inflatio signum est lethale; tùm denique quia pedes, cùm sint frigidi, ac exangues minùs habent caloris naturalis, qui præcipuè in sanguine consistit, & in partibus sanguineis: sunt quidem frigidi, ac exangues ob propriam ipsorum compositionē: etenim pluribus sunt constructi ossibus, neruis multis, ac cartilaginibus, pauca verò carne constant. Attamen notandum est primò cum *Hieronymo Mercuriali* z hoc signum non esse propriũ Hydropis, cum soleant etiàm inflari pedes ex longis, alijsque morbis. Notandum secundò cùm *Zaccuto*, a pedum inflationē non accidere in qualibet Hydropis specie, sed in Anasarcha tantũ, quādoquidē, vt habet *Auicenna* cit. b in Tympanite, & Ascite pedes arescũt sæpè, & extenuantur inopia cōuenientis nutrimenti, quod nō euenit in Anasarcha, in qua pituitosus san-

z *in pract. libr. 3. c. 2.*

a *libro 2. prax. hist. cit.* § *verũ*

b *cap. 9. & 11.*

guis ab hepate calore naturali destituto generatur, & per consuetas venas ad omnes corporis partes amandatur, qui cùm sit crassissimus in corpus vniuersum delatus, in vastum tumorem attollit. Sitis tertiò inter Hydropis signa annumeratur, quæ vehementer Hydropicos cruciat, ac lancinat, ob calorem adscititium, qui partibus hydropem generantibus dominatur: vt enim sæpiùs diximus, plerùmque ab adscititio calore extinguitur natiuus, ortũ ducit hydrops. vndè à copia caloris præternaturalis omnia aduruntur, aqua in abdomine producitur salsa, ex qua multi, nitrosi, salsique vapores sursùm attolluntur, qui os ventriculi, gulamque afficientes, atque exiccantes, sitim augent, intenduntque: non enim ex mora, & coarctatione aquæ in loco decliui sitis emanat, vt multorum stulta fuit opinio, augetur quidem, at à calore adscititio producitur, quod clarè docuit **Auicenna** citatus, dùm ait *aquea illa humiditas, salsa, acris, & vitiosa est*, & *mora coarctationeque, tùm calidior, tùm vitiosior redditur, quarè ab ea potiùs sitis inducitur, quàm sedatur*. quod si sitis multoties nõ adsit, permanẽte appetitu, morb⁹ ille nõ erit cẽsendus hydrops sed vesicæ & renũ imbecillitas, ob quã serosũ humorẽ nõ trahũt, aut obstructio meatuũ, qui cõducũt ad renes, vndè ex venis exudant, & carnes madescũt. quarè spuria etiã cachexia nascitur, falsaq; Anasarcha, quæ perfecta est cachexia Accidit etiã obstructis meatibus mesenterij ad iecur
non

nōnisi aqueā partē chyli transmitti,sicq; spuriā incipere hydropē.Quartò,difficulter respirāt, cum comprimatur Diaphragma,vt liberè moueri nō possit.Deficit appetitus ob ingentē eorum sitim,vt enim aduertit *Mercurialis* ex *Hippocrate*, c vix inueniri potest, vt simùl magna sitis,& fames sit.Vrina redditur pauca, quia aqua ebibita, & alimentorum humiditas potiùs ad ventrem,quàm ad vias vrinæ confluit, vt diximus. Demùm adest febricula aliqua, vt docent *Hippocrates*, d *Galenus*, e & innuit *Auicenna* citatus illis verbis,*& accidunt eis plurimū febres tepidæ*. comitatur hydropem febris ob calorem præter naturam corpus dominantē.

c *lib.de aere aquis& locis.*

d *lib.1.de morbis.*

e *1. apho. 16.*

Signa autem particularia sunt cuiuslibet speciei diuersa,& pathognomonica,etsi in multis nō differāt.in Tympanite enim tumor ventris rotūdus est,tensus, semper in medium attollitur,ac si venter percutitur quasi tympanum strepitat ob flatus copiam, hinc est quod frequenter intestina rugientia murmurent,multaque flatuum indicia concurrant, & pulsus sint subduri cùm aliqua tensione, parui,non autem imbecilles crebiores,celerioresque, vt *Galenus* docet; f quā quidem Tympanitē rarò *Auenzoar* g voluit fieri absq;tumore lienis.

E couuersò tumor ventris in Ascite non est ità rotundus, nec tensus, sed ægro supino decumbente tendit ad latera,& vbi circumuertitur corpus quemdam veluti fragorem, & murmur aquæ motę contingit audire.hinc est quod

f *lib.4.de caus. puls.*

g *lib.1.tr. 13. cap. 1.*

quod si venter percutiatur non resonet instar tympani, pulsus autem sunt parui, crebriores, subduri, aliquãtisper tensi, vt idemmet innuit *Galenus*.

At in Anasarcha vniuersum inflatur corpus, & quasi eneruatum languet, cuius color est albus. quod si aliqua pars digito cõprimatur, ei⁹ remanet impressio; quæ diù durat; pulsus est mollis, vndosus, & languidus propter totius corporis humiditatem auctore *Galeno* citato. Adest & anhelitus fætor, & vomitus, aut egestio alborum, & crassorum humorum vt testatur *Celsus*; quibus signis addit *Aretaus*, vt refert Doctissimus *Mercurialis*, animi deliquium in ægris morti propinquioribus, & maximam salutis spem, cùm tamen in eximio decumbãt periculo, & in morbis minoris periculi magis timeant, ac desperent: cuius quidem non alia potest esse caussa, vt innuit *Mercurialis*, nisi quia turbationem non sentiunt: est enim Anasarcha morbus vniuersalis, & ferè connaturalis corpori, in quo æqualem producit intemperiem. sed hæc de signis.

De Prognosi verò scio omnes Auctores diuersimodè, & diffusè loqui. ne igitur in decantatis morar, solùm dico cum *Hippocrate*, *Aretao*, & *Celso* omnem hydropem grauem esse, & curatu difficilem, eòque magis difficilem reddi, quantò magis est inueterata; & quia diuersimodè prouenire potest hydrops, vt diximᵘ, ideò eò grauior, & curatu difficilior erit,

quo

quò magis nobilior erit pars, actionis læsæ præstantia, sympthomatum vrgentia. sic, vt à sympthomatibus incipiamus, quandò tussis, quæ superuenit hydropico, adeò contumax est, & adeò fixa, vt ab ea diuelli non possit, mala est, & hydropicum desperatum facit, iuxtà *Hippocratis* oraculum *6. aphor.* 35. & 7. *aphor.* 47. sic anhelitus difficultas pessimum est indicium: ostendit enim pulmonem aliquid aquositatis proprio motu attraxisse. sic abscessus, vel maculæ in cruribus erumpētes lethales sunt, prę-cipuè si ipsis manantibus aliquo modo non detumescunt. tunc enim sanguis defecatur per vlcera. sic Bion, apud *Hippocratem*, *h* Hydrope laborans ad genu sinistrum oborto abscessu, & suppuratione facta mortuus est; & Cthesiphonem hydropicū tribus, aut quatuor ante mortem diebus rigor, & febris corripuerunt, ad femur dextrum parte interna iuxtà venam mediam, quæ ab inguine fertur, collectio velut ex igne agresti oborta est, cum rubore aliquantulū liuido; ad noctem oris ventriculi dolor, neque multò post vox defecit, suffocatio cum stertore, & mortuus est. Præterea febris hydropi superueniens breuissimi temporis est, & plerūmque lethalis iuxtà *Hippocratis* presagium 2. *prædictionum*. illa enim febris ex calore putredinali excitatur. rursùs Hydropicus, si aluus valdè fuerit humida citissimè moritur & sentiens & loquens ex *Hippocrate*, *i* quandoquidem prouenit ex hepatis obstructione, & venarū debili-

h 7. *epidē.*

i 4. *de morbis in fine.*

bilitate, neq; excernitur id, quod debet excerni: cùm enim venæ meseraicæ nequeant præstare chylum ob hepatis obstructionem, earũquè debilitatem, chylus ille, dùm in intestinis moratur à calore inflammationis corrumpitur, acrior redditur, & mordax, quare proritat intestina ad excretionem, atque adeò ventrẽ non emollit, neque dolorem sedat, cùm non sit id, quod debet euacuari, vt rectè innuit *Hippocrate 2. progn. 2.* quia autẽ prohibetur iste transitus chyli ad hepar corpus cõsueto priuatur alimẽto, vt contabescat, statimque pereat, est necesse. sic demùm vrinæ stillicidia, & vrinæ paruas subsidentias habentes malæ sunt ex *Hippocrate 2. prædictionum* citato, quià serum ad vẽtrem confluit, & ferè nihil eius ad renes penetrat. ideòque optimè dixit *Celsus* K tùm secundam valetudinem sperare licere, cùm plùs humoris per vrinam excernitur, quàm assumitur

K *lib. 3. capit. 22.*

Arguitur etiam salus, & mors in hydropicis ex actionis læsæ præstantia, & partium nobilitate: quo enim nobilior erit pars, & prestãtior actio eo periculosior erit morbus eas afficiẽs: sic reliquis Anasarcham difficiliorem, & periculosiorem esse cùm *Hippocrate* dicimus, qùi *4. acutorum 3.* eam vitari non posse testatur, & *lib. 1. de morbis* inter morbos lethales eam numerat, quam sententiam sequuntur *Cælius Aurelianus lib. 3. tarda: passion. cap 8.*, *Celsus lib. 3. cap. 21.* *Rhasis*, & Medicorum innumeri. ratio patet ex dictis, quia in ea adest læsa sanguifica-

tio

tio, & consequenter nutritio, ac concoctio: cũ ex aqua circumfusa extinguatur calor hepatis innatus sanguificationis auctor.

Demùm difficilis est curatu hydrops à colliquatione emanans, vel ab alio morbo: vires enim omnes magis resoluuntur, corpus languescit, iuxtà *Hippocratis* doctrinam *4. de morbis*, & in *Coacis pr[æ]not.* Hydrops verò qui ex alijs oritur caussis, vt renum, venarum mesaraicarum, vesicæ, & similium læsione plerùmque lethalis est.

E conuersò qui sunt facilè curatu præsagiũtur ab *Hippocrat[e]* k illis verbis *Eum, qui ab Hydrope, siue aqua intercutem correptus est, & superstes est futurus, bonis visceribus præditum esse oportet: ita vt natura se exerat, simulque facilè concoquat, & benè spiret, sitque sine dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circà extremas partes colliquatũ. Meliùs est autem, vt tumores potiùs habeat in extremis partibus. Optimum verò est neutrum horũ habere. Nàm molles, ac graciles esse conuenit extremas partes, itemque ventrẽ ad contactum mollem. Tussim verò adesse non oportet, neque sitim, neque linguam resiccari, tùm reliquo tempore, tùm post somnos, quandò hæc valdè fieri solent. At cibos libenter accipere oportet, & vbi multùm satis comedit, non affligi. Aluum verò ad medicamenta quidem celerem habere, reliquo autẽ tempore egerere excrementum molle efformatum. Vrinam autem apparere conuenit, pro studiorum ratione, & vinorum mutatione transeunte. laborẽ*

k *libr. 2. prædict. 5.*

verò ferre oportet facilè, & lassitudinis exortem esse. Ac optimum quidem est hominem ità per omnia dispositum esse, & sic securissimè sanus fieri poterit. sin minùs plurima ex eis habeat. nã spes erit, vt superstes euadat. Qui verò nihil horum habuerit, sed contraria; eum desperatum esse scito. Qui autem pauca horum habuerit, quæ bona esse dixi, si hydrope laboranti adsint, huic exiguæ spes restant.

Habetis iàm Doctores sapientissimi verum, & hippocraticum hydropis prognosticum, vndè facilè potestis colligere, ex sententia *Hippocratis*, Hydropicorum quos sanitati posse facilè restitui, quos verò inconsultè sæuientis morbi victimæ mactari omninò debere. quare his omnibus absolutis, veram, ac rationalem hydropis curationem assignandam aggrediar, quam vestræ in me audiendo humanitati postremã diurnæ huius lucubrationis reseruaui.

Curat communis Medicorum schola hydropem omnem medicamentis calidis, & siccis: cùm ab intemperie hepatis frigida eam oriri existimet, vt sæpiùs dictum est: quarè primùm eligendum aerem calidum, & siccum, serenũ, non ventosum, aut crassum esse præbet; corp⁹ dũmodò nõ febricitet, multis exercẽdum esse exercitationib⁹ asserit; sudatoria medicamẽta, sitim, & vigiliam ex parte commendat; cibum coctu, distributuque facilem, ac duriusculum panem optimè fermentatum, & carnes volatilium, & quadrupedum non pinguium, & ferarum magis, cù m condimentis aromaticis,

her.

herbisque extenuantibus, vt fœniculo, aniso, origano, eruca, brassica, pulegio, rapa, pastinaca, porro, sicut etiam passulas, punica pyra cocta concedit; dat pisces, cancros, locustas, vitat legumina, & bellaria; aquam negat, vinum admittit, magis ex absynthio, spica nardi, aut apio, ità tamen vt numquàm potu saturentur, nec ex parte, adhibet tamen in cunctis calefacientia omnia, ac exsiccantia.

Specialiter verò Anasarcam venæ sectione plerùmque à principio curat, ne calor hepatis imbecillus magis à sanguinis frigidi copia extinguatur; deindè corpus præparat extenuantibus syrupis, incidentibus, ac meatus aperientibus, quo præparato purgat Rhabarbaro, Agarico, Hiera, & similibus; singulis septimanis aluum mouere studet præcipuè cort. med. rad. sambuci vino decocta, & sem. Ebuli. Corroborat iecur diarrhod.; diacurc., dialacc.; theriaca, aromate rosaceo; adhibet cataplasmata ex desiccantibus, & emplastra, & vnguenta. demùm scarificationes suprà malleolos cùm Asclepiade commendat, & vessicantia, & cauteria, vt exeat aquositas, quæ sanat quandò oportet.

In Ascite verò venæ sectionem prohibet, sed purgat corpus pillulis agarici trocisci, Rhabarb. vigor, hiera simplici, facta præparatione per syrupos de cortic. citri, mellis rof., aut oximel., adhibet potionem ex cortic. citri, myrab., sambuci, alijsque extenuãtibus; celebrat Mechocan., Galapium, Sambucum, ebulum,

Brassicam marinam, siue Soldanellam, Euphorbium, Sagapenum, Scammonium, Iridem cælestem, Esulam, Gratiolam, Elaterium, Mezereon, & similia deleteria, quæ omnia vel in succo, vel in conserua, vel in aqua, vel in pillulis, vel in puluere, & similibus præparat, & adhibet. vtitur etiàm clysteribus acribus, ac topicis remedijs extrinsecùs exsiccantibus iàm dictis, tandem vt educatur contumax hic humor ad paracentesim deuenit, vel in scroto, vel in vmbilico, per quatuor digitos sub vmbilico in regione musculorum rectorum.

In Tympanite denique præparat, purgatq; humores mixtos flatui, ijsdem rebus addit attenuantia vaporem vt fænicul: cumin: anis: pulegium, calament:, & huiusmodi in cibo, clysterib', ac suppositorijs, quę ex melle, agarico, & hiera constituit; præterea cucurbitulas ad flatum educendum, & cataplasmata attenuantia, ac exsiccantia commendat, vt apud ipsos videre est.

Audistis, N, quomodò isti curant hydropē omnem calefacientibus, ac exsiccantibus medicamentis, non igitur miremini si nemo ex his referat sua cura sanari, quinimò vix vnum inter innumeros hac methodo euasisse testetur, ac experimento comprobet, quod si aliqui id referant, aut non exacta huiusmodi cura, sed casu aliquo, aut meras esse ipsorum nugas dicere oporteat, aut deniq; spurius erat hydrops ille non legitimus, vt agendo de signis vniuer-

salibus diximus. Et certè quomodò poterit hydropicus hac methodo pristinam recuperare sanitatem, si huiusmodi medicamina hepar, cæterasque partes magis accendunt, inflammãtque, si hydropis caussam magis fouent, augentque, (quarè non immeritò *Cardanus* sicarios, carnificesque vocat illos, qui calidis incedunt in hydrope curando) respicit hęc methodus effectum, flatuum scilicet dissolutionem, aquæ euacuationem non caussam: hinc est quod si medicamentis ab aduersarijs adhibitis aqua semel euacuetur, de nouo in abdomine generatur, vtuntur enim deleterijs medicamentis, (quod est maximè dolendum) quæ venena sũt, proprièque debilitant membra naturalia, calorem natiuum extingunt.

Vera igitùr hydropis curatio ad caussam præcipuè debet respicere: ablata enim caussa auferri effectum compitatim ab omnibus quotidiè dicitur; propptereà cùm hydrops ex multis oriatur caussis, morbis, ac partibus, vt dixim⁹, vt morbis lienis, hepatis &c. sequitur, quod hydropis curatio ad suas caussas, ac membra debet primariò respicere; Quarum omnium caussarum, omniumque hydropum curationẽ in præsentiarum afferre non grauarer, nisi & omnium libri de hac re fusissimè agerent, & plus æquo tractationem hanc produxissem. Illius tantùm hydropis curationem afferam, qui ab hepatis vitio, primaria presertim intemperie emanat. Dubitantes enim Doctores hũc hydro-

hydropem non ex calore, sed potiùs ab hepatis læsa sanguificatione, eiusque caloris deperditione, quem ab his minimè caussis emanare iàm diximus; calidis hydropem medicamentis curant, quibus damno potiùs afficiunt hydropicos, quàm saluti restituunt, quod hùc vsque probauimus. Curationis autem dictæ modus per iecoris correctionẽ habetur. Emendatur hepar non calefactiuis, sed frigefacientibus, ac viscera corroborantibus, idcircò darem decoctum hordei in aceto, quod firmat iecur, permeatque ad caloris eductionem; serum caprinum cum modico vino, decoctum cichorij, & brodia consumata cum lacte. manè darem ad bibendũ lac asininũ melle, aut sale affusum quod præcipit *Hippocrates lib. de internis affectionibus*; cibi debent esse duriusculi, ne ob copiam, ac vim caloris vertantur in aquam, sicut etiam præberem carnes siluestres pingues, non aridas in lacte, vel sero decoctas, &c.

Deberem tandèm pro grauissimæ materiæ, ac mei muneris partibus implendis, de multis præcipuis, particularibus, topicisque præsidijs, & medicaminibus agere, sed quis me longiùs loquentem non accusaret importunitatis, cùm iàm vltrà passim apud multos meæ opinionis Auctores facili negotio queant à quocumque inueniri, eo præcipuè, quod nos alibi complurima Deo fauente afferemus? Dixi.

Quo-

Quomodo Cibandi sint Aegri.

DISCEPTATIO VLTIMA.



E Ægrotantium cibis, qui, quandò, quomodò, quibus dandi sint, de difficillima scilicet omnium materia agendum mihi est hodierna luce, N, N; quam quidem tractationem lubenter alijs me & doctrina, & ætate prouectioribus relinquerem, nisi & vestrà auctoritas ad id me impelleret, & vestra itidē humanitas ad idem maximè alliceret. Noui.n. ingenium vestrum, vestrum benignitatem, vestrum, inquam, qui me vix primis degustantē labijs Medicæ facultatis præcepta, de re qualibet hic differentem & laudastis, & hilari fronte ad quemlibet, quantùm ille arduus esset, laborem capessendum impulistis. Age verò, quid hac luce lucis ingenio meo affulgebit, vnde, tenebris excussis insipientiæ meæ, clarè, ac vt res postulat, & locus, rem obscurissimam pertractem? Ponite ante oculos, N. argumenti difficultates omnes, Doctorum varias, ac vbiq; contrarias opiniones, ipsius *Hippocratis* omniū magistri in hac re variam mentem considerate; ætatem meam, ingenium admodùm tenue, ac humile inexpertam rerum notitiam animo euoluite, quid, Deus immortalis, est, quin ego Myso-

Mysorum, vt aiunt, postremus, in amplissimo collegio, in eruditissimo lycæo illud mihi sumam pertractandum argumentum, quod ipsã seniorum canitiem rubore conspergeret confusionis; cùm vltrà nec ad rem exactiùs perscrutandam tempus sufficiat, tempus, inquam, ad mihi parandum datum, ad publicè dicendũ limitatum? Deficerent me dies, menses, anni; amplissima volumina non sufficerent, vires fatiscerent, etsi validiores essent. Quid faciam Auditores? rem breuiter, quantùm licet, excurram, diffidentes Auctorum sententias, ac *Hippocratis* oracula conciliabo, vos ea, qua præstatis, humanitate, fauete linguis, aures præbete secundas, vt vestra benignitate adiutus, vt soleo, dicendi finem faciam, nisi cùm laude, non sine derisorũ saltem gaudio, ac subsannatione.

Ergo, vt vos non latet, Doctissimi Academici, quàm, vt dixi, variæ hac de re sint sententiæ; liceat nonnullorum placita primùm referre. Et vt ab omnium facilè principe *Hippocrate* principium dicendi faciamus, quem, non nescitis, quam, vt dixi, sibi ipsi varius videatur; præcipuè in *prima aphorismorũ sectione* à *quarto aphorismo* ad *vigesimum* vsque excluſiuè, *libris de victus ratione*; & alibi, sed vt clariùs rei veritas, ac *Hippocratis* varietas appareat, mecũ excurrite quædam eius verba, quæ in dictis locis extant. siquidem 1. *aphor.* 4. tenuem damnat, ac tenuissimum victum, illis verbis *Victus tenuis, & exquisitus, in morbis quidem longis sem-*

per

per: in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursùs, qui ad extremum deuenit tenuitatis grauis est; nàm & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt. idem alio modo probat *aphorismo* 5., dùm ait *In tenui victu ægri delinquunt: quo fit, vt magis lædantur. quicumque enim error committitur, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valdè tenuis constitutus, & exquisitus victus, quoniam errores grauiùs ferunt: Ob hæc igitur tenuis victus, atque admodùm exquisitus, eo qui sit paulò plenior, magis periculosus.* quod pariter alibi confirmans, non solùm à sorbitionibus tenuium rerum ad solidiora se cõfert, sed vinum etiàm in morbis acutis concedit. Contrarium verò docet *lib.* 2. *aphor.* 10., vbi hęc habet *Impura corpora, quantò magis nutries, magis lædes. lib.* 2. *de ratione victus in morbis acutis* idẽ confirmans, ait, *Multò autem minùs versùs adiectionem eundum est: detractio enim omninò frugalis plerùmque confert, vbi superfuturus est ægrotãs, donec morbi status concoquatur.* & paulò inferiùs, *Deteriùs quidem est,* inquit, *si ei, qui ob laborem, morbique acutiem imbecillis est, potum quis offerat, multamuè sorbitionem, aut cibum, putans eam imbecillitatem ob vasorum contingere vacuitatem. Sed & indecens est, eum, qui ob vasorum vacuitatẽ imbecillis est, non agnoscere, rationeque victus opprimere. Affert enim & hoc periculum quoddam, atque peccatum, longè quidem minùs, quàm alterũ, sed quod magis subiaceat irrisioni: vbi enim alius,*

Ee vel

vel Medicus, vel idiota superueniens, accidentiaq; cognoscens, ea ad esitandum, potandumque dederit, quæ prior ille prohibuerat, apertè videbitur auxilium attulisse, cùm magno alterius dedecore, putantibus hominibus superuenientem Medicum, veluti mortuum suscitasse. Hinc patet verborum *Hippocratis* varietas, ac manifesta contradictio, vndè emanauit, credo, quod *Thessalus Hippocratē* reprehendens, vt refert *Galenus*, [a] eum nimiū dixit ægros repleuisse; *Erasistratus* verò, licet eum damnet, non repletione, sed fame ægros necasse affirmauit: quandoquidem antiquissimi isti Medici alias excogitarunt victus rationes. *Thessalus* siquidem, & *Asclepiades*, ne natura à pugna ad alimenti coctionem reuocetur, subtractioni ciborum incumbebant: atq; adeò languentes ipsos per initia morborum, duos, vel tres, vel etiam plures dies inedia siccabant, atque ità tùm sorbitiones, & potum exhibebant, vt habet *Hippocrates*, [b] & nos alibi diximus; [c] *Erasistratus* verò victum offerebat crassum. fuit & *Petronas* Medicus, qui, vt patet ex *Galeno*, [d] in febribus acutis carnem concedebat assatam, vinum nigrum, & alios cibos, qui solùm hominibus in optima sanitate constitutis competunt. ea forsan ductus ratione, quia si natura morborum est medicatrix, haud quaquàm morbum debellabit, ni alimentis semper roboretur. *Petronam* sequuntur mulierculæ, & popellus nostrorum temporum, qui in ægrotis confarciendis superflua ciborum copia

a *lib. 1. de rat. vict. comm. 25.*

b *2. acut. 18.*

c *1. Disc. pag. 27.*

d *lib. 1. de rat. vict. in acut. comm. 17.*

pia numquàm desinunt, in ea hærentes opinione, conualescere non posse ægrotos ob virium imbecillitatem, quæ ex nimia abstinentia prouenit: contra verò statim ac multo cibo repleuerunt, ægrotantium rem in tuto esse arbitrantur. fuerunt & nonnulli, quos reprehēdit *Galenus*, [e] qui ægros alliciebant victu suaui, & agebant, vt cùm ipso loquar, malo dolo; nequè credat aliquis ob id *Galenum* vnam tantùm sanctam afferre sententiam, varius etiàm videtur ille: nàm victum tenuem in principio, & crassum in statu, quem docet dandū esse ægrotantibus *lib. 6. meth. cap. 5.*, & 12. *eiusdem cap. 6.*, damnat 2. *aphor. comm.* 30., vbi victus rationem attenuando procedere affirmat. ac etiam *Auicenna*, qui 1. 4. *tract. 2. cap.* 8. tempus magis conueniens ad incrassandum principium esse, ad subtiliandum verò statum dixit, totum id negauit 1. 3. *tract. 3. cap.* 3., 2. 3. *tract. 1. cap.* 4, & 1. 4. *tract. 2. cap.* 56. hinc horum inter Medicos præcipuorum interpetres tantis difficultatibus perterriti, vt hos conciliarent auctores, ac auctoritates, in varias abierunt sententias, varios adducendo respondendi modos. & alij victum tenuem in principio approbarunt, alij tenuissimū, alij crassum. Sed ne ampliùs per amplissima Doctorum volumina incerti diuagemur, ad rem propriùs accedamus.

[e] *ibidem.*

Et primò nulli dubium esse video, sanorum victum in ægrotantibus seruandum non esse: siquidem dicebat *Hippocrates*, hanc Medicinæ

partem, quæ tota est circà victus rationem, primùm esse inuentam, quasi sit maximè naturalis: nàm tempore illo, quo omnia rudia erāt, vbi quisque ægrotabat, statim mutabāt victus rationem: quasi hæc debeat esse precipua curandi ratio, vt victus mutetur. vt ex eius verbis apertè colligitur ibi f *homines primùm quidem de suis cibis copiam detraxerūt, tùm pro multis paucos sumpserunt, deindè cùm nec id coquere satis essent, quibus imbecillus esset ventriculus, sorbitionē inuenerunt, valentes cibos multa aqua diluentes; eorumque vim temperatione, & coctione detrahentes.* quod tradidit etiam *Celsus*, qui g *initia*, inquit, *morborum primùm famem, sitimque desiderant, ipsi deindè morbi moderationem, vt neque alium quàm expedit, neq; eius ipsius nimiùm sumatur:* & alibi *minus ergò*, ait, *tantam materiam supe rantem oportet, quæ naturaliter detrahitur, vbi nihil noui accedit; itàque abstinendus à cibo primis diebus est:* atque hoc est, quod dicebat *Auicenna*, h vbi non noueris morbum, subtilia regimen; quasi diceret, semper victus rationē esse præ alijs instituendam. hoc patefecit experientia, siquidem experimur nulla facta ciborum permutatione, haudquaquàm salutem posse recuperari, proculdubio mortem sequi. hoc ostendit ratio: nàm si homine ægrotante, eius naturalis dispositio mutatur, viresque ità redduntur imbecilles, vt pristinum nō possint elaborare, nemo in dubio versabitur, victus tùm quantitatem, tùm qualitatem mutari deberi.

f lib. de veteri Med.

g libro 2. cap. 16.

h l. 4. tract. 2. cap. 7. in med.

alium

alium magis cõgruum ægrotantibus institui. hoc docuit Methodus, quam nos insectamur: nàm indicatur victus in sanis, vt docet *Galenus 1. de rat. vict.* 44., à virtute: mutamus namque illum, prout virtus validior est, atque imbecillior, & validiori plùs alimenti exhibemus: at in ægris, quo virtus est maior, eo min' est dandū: non enim tantùm virtutem, sed & morbum debemus inspicere: non quia cibum indicet, sed quia cibum à virtute indicatū potens est prohibere. hoc denotarūt tandē bruta, à quibus Medicina multa mutuata est medicamina, quæ natura ipsa edocta, mutant viuendi formam, vbi ægrotant.

Compertum pariter est apud omnes victū dupliciter considerari posse, & respectu sui, & respectu corporis alendi, vt apertè docet *Hippocrates*,*i* cuius hic oracula conciliare studem? à quo consentaneum numquàm fuit recedere, illis verbis. *Porro eum, qui de victu humano scripturus est, censeo primùm quidem totiùs hominis naturam nosse, ac dijudicare oportere. Nosse quidem ex quibus ab initio constitutus est, dijudicare verò quæ in ipso partes dominium obtineant. Si .n. constitutionem ab initio non cognoscet, & id, quod in corpore dominatur, non poterit ea, quæ homini conducunt offerre: hæc igitur scriptorem cognoscere oportet. Deinde verò ciborum, ac potuum omnium, ex quibus victum habemus, facultatem, quam tandèm singula habent, & secundùm naturam, & secundùm necessitatem, ac artem humanam. Oportet*

i lib. 1. de dieta in princ.

enim

enim scire quomodò fortium natura vim detrahere oporteat, & quomodò debilibus robur per artem addere oporteat, prout singulorum occasio se obtulerit. hæc *Hippocrates.* sed quomodò hoc totũ cognoscatur, videamus.

Dùm consideratur victus respectu corporis alendi, quatuor considerantur, vires nimirùm corporis ipsius, substantia, circumstantiæ quædam, ac morbus, quo corpus affligitur; respectu sui consideratur alimenti forma, siue substãtia, quantitas qualitas, & tempus: octo siquidẽ requiruntur ad rectam victus rationem ægrotantibus instituendam; vires etenim vt vires solùm victum expostulant, non determinatũ, & præscriptum, sed indifferentem, eam tamen cibi requirunt quantitatem, quæ ab ipsarum virium dispositione indicatur: atque adeò sanorum vires earum exoptant augmentum, hecticorum, tabidorumque earum conseruationem, febricitantium verò aliqualem earũ diminutionem, vt dicemus. Oportet etiam cõsiderare formam, siue corporis substantiam, hæc enim proportione, & similitudine substantiæ alendi corporis debet esse simillima, & correspondere. Oportet considerare circumstantias vt Ætatem, Regionem, Anni Tempus, Consuetudinẽ, &c. Ætatem: nàm *Senes*, vt habet Hippocrates, k *facillimè ieiunium ferunt: secundò loco, qui ætatem consistentem habent: minùs adolescentes: omnium minimè pueri, præsertim qui inter eos sunt viuidiores.* cuius rei reddens rationem,

k *lib. 1. aphor. 13.*

nem, l ait *Qui crescunt plurimùm habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur: senibus verò parùm calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur.* Regionem: etenim vt patet ex *Hippocrate* m *Oportet laborum vim prænoscere, tùm naturalium, tùm qui per vim fiunt, & qui ex ipsis carnes in augmentum præparant, & qui in defectum: & non solùm hæc, sed etiam mensuram, & proportionem laborum ad multitudinem ciborũ, & hominis naturã, & corporum staturas, & ætates, & ad tempora anni, & ad mutationes ventorum, & ad situs regionum in quibus degunt, & ad anni constitutionem, ac statum. Sed & astrorum ortus, & occasus cognoscere oportet, quo mutationes, & excessus ciborum, ac potuum, & ventorum, & toti' mundi, ex quibus sanè morbi hominibus oriuntur, obseruare sciat.* quam sententiam breuiter admodùm confirmans, n ait *hominum naturæ, & ætates, & regiones, & ventorum mutationes, tùm temporis, & anni constitutionum, variam victus rationem exigunt.* Anni Tempus: quandoquidem habemus ex *Hippocrate*, o quod *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quarè per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda: etenim tunc calor innatus copiosior est, vndè & pluribus egent alimentis. Indicio sunt ætates, & Athletæ.* & alibi p *Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferũt, hyeme facillimè, secundũ locũ ver habet.* Consuetudinem denique: est enim q *Cõdonandũ aliquid tempori, ætati, & consuetudini.* dicebat

l aph. 14.

m libr. 1. de dieta pag. 2.

n libr. 3. de dieta pag. 1.

o libr. 1. aphor. 15.

p aphor. 19

q Hipp. li. 1. apho. 18.

r lib. 1. de rat. uict. in morb. acu. pag. 6.

s libro 7. Ethi. c. 10

cebat namque *Hippocrates*, r quod consuetudo facit vt cibi mali meliùs nutriant, quàm boni, & insueti, & *Aristoteles* s similem, ait, esse naturæ, vocatque in testem *Euenum* poetam, qui ità cecinit.

Vsus longus mos est, ac meditatio crebra
Hunc tandèm assero Naturam mortalibus esse.

Vltimò venit morbus, quo corpus affligitur expendendus, qui consideratur vel vt morbus est, vel vt talis morbi species. Si consideratur qua talis morbi species est; tunc victus debet propinari iuxtà mutationem virtutis illatam à morbo: hac enim ratione consideratur morbus in hoc casu, quatenùs scilicet modificat ægri virtutem. si consideratur qua morbus est, solùm expostulat alimentum vt medicamentum: certum namque est alimentum duobus posse modis prodesse, vt medicamentum nimirùm, & vt alimentum, vt alimentum nullũ qualitatum excessum habet, sed solùm vim nutriendi obtinet; vt medicamentum verò præter nutriendi vim, aliquem in qualitatibus habet excessum, per quem morbo, & caussę morbificæ aduersatur.

t libro 1. aphor. 17.

Et non aliter video alimentum vt medicamentum nobis omninò indicari, ac reliqua Medicinæ præsidia indicari solent; cuius alimẽti vt medicamenti iuuamen ex dupplici capite, ex qualitate, & quantitate scilicet habetur. qualitas enim alimenti colligitur ex *Galeno* t esse remedium attemperans, illis verbis *si enim*

vires

vires laborantis debiles fuerint, & ea, quæ in corpore est dispositio, fit ex corruptione humorum, vel defectu: parùm alimenti sæpiùs talibus afferemus: parùm quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simùl multitudinem alimenti sustinere: sæpiùs autem, quoniàm multis indiget dispositio. Defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio verò contemperamentum. vndè colligimus dupliciter ęgrotantibus prodesse victus vt medicamenti qualitatem: qualitate, & copia: qualitate, humorum compescit putredinem, & attemperat; copia, virium supplet defectum. Sed audio quosdam asserentes hoc esse contrà *Hippocratis* mentem, cùm asserat *u* quod *Impura corpora quantò magis nutries, magis lædes.* atque adeò si supponitur humorum putredo in ægrotante, haudquaquàm debet victus copia propinari: cùm ex maiori nutritione maius dicat *Hippocrates* detrimentum prouenire. Verùm etsi nescius non sim ex ipsismet verbis *Hippocratis* deduci, corporis impuritatem non consistere in corruptorum, putridorumque humorum, sed in plurimorum excrementorum copia: ideò enim damnat impuri corporis nutritionem *Hippocrates*, quia quo magis nutritur, magis læditur, quia scilicet ex nutritione, & frequenti ciborum adhibitione plurima emanant excrementa, quarè & corpus redditur magis impurum. dico tamen istos *Hippocratis* mentem non benè percipere:

u *lib. 2. aphor. 10.*

ibi enim de omnimoda corruptione loquitur *Hippocrates*, quæ nullis præsidijs potest emendari; nos autem victus copia aliqualem humorum coruptionem cùm *Galeno* corrigimus.

x comm. 1 aphor. 17. Quantitas etiam consideratur à *Galeno*, x dùm tamquàm præsidium indicatur: proptereà dixit, quod si *cum humorum defectu, vel corruptione vires validæ fuerint; tunc multos cibos, atque multoties ijs, qui ita laborauerint dabimus: vtpote multos exigête dispositione, & natura robusta potente illos superare.* hoc etiàm docuit *Hippocrates*, y

y lib. 2. aphor. 2. dùm ait *Quicũq; morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & quicumq; ex euacuatione, repletio: & aliorũ, contrarietas.* quod pariter innuit z definiens Medicinam esse adiectionem, & ablationem, quam definitionem hippocraticam, ait esse *Galenus*. a

z libr. de flatib⁹, & lib. de natur. hum.

a 11. met. cap. 12.

Victus verò, qui vt alimentum datur, vno nobis modo indicationis caussa est, virtutem vitalem seruando, ac custodiendo: per accidẽs siquidem morbos expellit, sanitatem conseruat. *nàm neq; vt valeam⁹: neq; vt à morbis liberemur, ab ea, quidquam desumimus, sed vt viuam⁹.*

b libro 9. meth. 13. ait *Galenus*: b quandoquidem alimẽtum, dummodò viribus satisfaciat parùm curat reliquorum, & licet noceat morbum, augeat, vel non expellat, sanitatem non conseruet, semper suũ consequitur finem, virium nimirùm tutelam: cùm ob facultatis vitalis custodiã sanos edere

c 1. de ra victus 44. & bibere, dixerit *Galenus*. c quod si multoties instituatur à Medico pro sanitatis custodia, ac

con-

conseruatione, semper intelligitur, morbo id non prohibente, vt benè sensit *Galenus* d illis verbis. *Quomodò dixi, vnum quidem esse alimoniæ scopũ custodiam virtutis, necessariò autem, simul morbi affectionem contemplandã esse, ità cibi offerendi tempus ex morbo nõ prohibẽte inuenitur.* nã si reliqua præsidia, quę desumũtur à morbo virtute prohibente non instituuntur, neque alimentum, quod à viribus indicatur poterit institui morbo id prohibente; & quemadmodùm in purgatione, aut phlebotomia rectè instituenda, consideranda est virtus, num valens sit tolerare remedia, quæ à morbo indicantur; sic in recta victus administratione consideranda est vis corporis, tamquàm alimoniam indicans: considerandus est morbus, vt res, quæ alimoniam à virtute indicatam valeat prohibere. de quibus *Galenum* potestis consulere *comm.* 1 *de rat. vict* 44.

d *de rat. victus* 46.

His habitis de ratione corporis alendi, progrediamur ad quatuor conditiones ipsorum alimentorum, quæ ægroto sunt danda, quas cõditiones diximus esse alimentorum formam, siue substantiam, quantitatem, qualitatem, & tempus.

Forma igitur, siue alimenti substantia, nihil aliud designat, quàm eam victus rationem, quà vires citra quantitatis considerationem conseruantur, iuxtà diuersam virium laborantis mensuram. hanc in tres differentias diuidit *Hippocrates,* e in ea scilicet, quæ comeduntur, quæ

e *libr. de veteri medicina.*

f libro 2. cap. 18. g 1. aphor. 4.

sorbentur, & quę potantur. huius alimenti formæ tria genera fecit *Celsus*, f quorum vnum vocauit valentis materiæ, aliud mediæ, tertiū imbecillimæ. hanc ciborum substantiam triplicem statuit esse *Galenus* g plenam, mediocrē, & tenuem. quibus vocibus etsi multùm differre inter se hi; auctores citati, in victus forma distinguenda prima facie videantur, idem tamen diuersis nominibus asserunt; plena nāque victus ratio *Galeni*, est valentis materiæ *Celsi*. & comprehenditur in ijs, quæ comeduntur *Hippocratis*; mediocris est mediæ materiæ, & sorbitione significatur; tenuis verò est imbecillimæ, & in potu collocatur. Plena, siue crassa victus forma est, cum plùs substantiæ corporis apponitur, quàm quotidiè absumitur, viresq; & conseruantur, & augentur: Mediocris cùm tantùm apponitur substantiæ, quātùm est deperditum. Tenuis, cùm plùs deperditur, quàm apponitur; per quam vires conseruantur aliquo modo imminutę, non quod victus ex se vires imminuat, sed quia non resarcit omne id, quod est amissum, vndè corpus non tantùm reficit, quantùm est opus. Crassam victus formam augentem vocat *Galenus*, æquantem, siue conseruantem mediocrem; debilitantem, ac vires minuentem tenuem. Crassa alia simpliciter talis est, quam Antiqui præcipuè in febricitantibus per integrā seu totam ptissanam hordeaceam instituebant, eamque copia maiori exhibitam alia paulò crassior, pisces, & oua

con-

concedens, alia crassissima, pullorum, & castratorum carnes admittens. Mediocris consistit in cibis liquidis, facilisque digestionis, qui cùm mediocres sint, & tenuitatis, & crassitiei aliquid in se habent. Tenuis quoque differentiæ à *Galeno* allatæ sunt victus tenuis, exactè tenuis, tenuissimus, & exactè tenuissimus. Tenuis est ptissanæ succus mediocriter datus, exactè tenuis est idem cremor in parua mensura acceptus, tenuissimus est mellicratum, exactè tenuissimus est omnimoda inedia. Indicatur huiusmodi victus forma non solùm à virium robore, sed etiam à morbi constitutione, quod apertè docuit *Galenus* [h] ex mente *Hippocratis* illis verbis. *Totius quidem victus rationem in vnoquoque morbo à duabus intentionibus iussit sumere, ex futuro totius morbi vigore, & ex viribus ægrotantis.* & alibi [i] *Totius victus figuram, ad duas respiciens intentiones faciebat, quarum altera erat vis ægrotantis, altera constitutio morbi.* licet enim victus ratio à viribus tantùm indicetur, morborum tamen constitutiones opus est vt consideremus: quia cùm sint variæ, variè disponunt virtutem, respectu cuius dispositionem victum modificare, ac exhibere debemus. per dispositionem intelligimus cum *Galeno* citato & distantiam status, & dispositionem morbi quoad sympthomata; per vires, & dispositionem præsentem, quam ex pulsu colligimus, & imminentem, quam ex tenuitate succorum, raritate, aut densitate cutis, ex facili, aut difficili inediæ tolerantia, & simili-

h 1. aphor. 11.

i aph. 12.

milibus deducimus.

Concurrentibus verò duabus hisce indicationibus virium, & morbi in aliquo ęgrotante; indicatio, quæ sumitur à viribus omnium est potentissima, cùm ab ipsis præcipuè indicatio sumatur, secundo loco ab ipso morbo: *si enim vires debiles sunt, magis attendẽdum esse viribus, quàm morbis* dixit *Galenus*: quia tunc magis possunt vires ad indicandum cibum, quàm morbi ad illum prohibendum; quod confirmans in *libro 9. methodi* per tota ferè eiusdem capita, præcipuè *cap.* 13. hæc habet *Maxima igitur dignitas ipsarum est virium: quandò viuere ipsum ex harum custodia constat, vt potè cùm vitã, aut ipsa esse vires, aut earum actiones sit necesse: at vita ipsas esse nihil esse priùs in animantis corpore potest: propterea, quod nec sanos esse citrà vitã licet. Virtus ergò omnium prima custodienda hominibus est. Seruabitur autem, si nec eius substantia inaniatur: nec tanta alteratione alteretur, vt ea corruptioni sit propinqua. Atq; huius custodiæ pars est, vbi vel temperiem ipsam præsentem seruamus, vel absentem inducimus. A virium indicatione proxima est, quæ ab affectibus, quos curare proponim⁹ datur: postea deinceps reliqua. Quicquid igitur indicationi, quam vires prabent, aduersatur, id secundi est loci, ac posterioris iis, quæ illa præcipiũt, &c.* hæc *Galenus*, quibus nil clariùs ad rem: atque adeò 1. *apho.* 9. docet, q in statu morbi, dũ adest aliquod sympthoma debilitans vires, opus est præbere alimentũ. vndè est, puto, q *Auicẽna* k dixerit

i 8. *meth. cap. vlt. in fin.*

k 1. 4. *tract.* 2. c. 8.

xerit, *Curans enim, sicut sciuisti, est virtus.* Victus etiã quãtitatẽ præter substantiã debet conside rare optim⁹ Medicus, si rectã vult instituere vi ctus rationẽ: nã quid in vniuersa Medicina grauius esse potest, quã diuersitas, quę est in quãtitate ciborum, omniumque præsidiorum? vndè Medicinam scientiam cõiecturalem aliqui dixerunt. quandoquidem ciborum quantitatem oportet variare, prout morbus varias subit mutationes, prout diuersum est facultatis robur, si quid em minùs eo tempore debet exhibere, quo magis morbo molestatur æger, quo minores habet virtutes. Indicatur victus quantitas à viribus, consuetudine, ætate, anni tempore, regionis temperie, ac morbi constitutione, de quibus omnibus satis superiùs, etsi breuiter, diximus.

Considerari etiam oportet victus qualitas, cum maximum facessat negotium in re Medica: hæc enim consideratur vel quatenùs cibus, vel quaten⁹ cibus medicinalis; si quatenùs cib⁹ cõsideretur, solummodò ad virium cõseruationem debet attendere, si quatenùs cibus medicinalis, & ad virium tutelam, atque custodiam, custodit nempè ægrotantis natura, & ad morbi expulsionem, quod efficit positiuè, ac manifestis quibusdam qualitatibus, superato, deuictoque morbo, à duplici nàmque indicatur victus medicinalis qualitas, à naturę scilicet laborantis custodia, & à morbi pugna.

Tempus denique, quandò cibus erit dand⁹,

venit

venit expendendum: quarè breuiter dicimus, id esse valdè opportunum, in quo adest virtus, quæ cibum indicat, ac à cibo suam instaurationem, conseruationemque inquirit: dummodò nullum prohibens adsit, ac contraindicans: vndè infero commodissimum cibandi tempus esse, cùm cibus, qui fuit assumptus, est concoctus: tũc enim natura nouum exoptat alimentum, & cùm à natura potest coqui, hoc est, nihil adest quod naturam in coctione possit impedire.

Atque hæ sunt conditiones omnes, quæ debent considerari à peritissimo Medico pro recta ciborũ administratione in quolibet ægrotante: cuiusque nàmque ægrotantis debent cõtemplari vires, substantia, quædam circumstantiæ, & morbus quo opprimitur, vt diximus. Vires, cùm hæ primariò alimentum indicent: quandoquidem vires fortes copiosum tolerãt alimentum, debiles paucum, mediocres mediocre. Substantiam, cùm corporis substantia, siue forma debeat summoperè assimilari substantiæ alimenti, ac qualitati, quà tutiùs, & præstantiùs conseruatur. Circumstantias, vt ætatẽ, regionem, anni tempus, & cõsuetudinem, quæ omnes cibum variant, vt sæpiùs dictum est. Morbum denique quo corpus affligitur, qui semper consideratur facta collatione ad vires. Debent etiam examinari quædam alimenti cõditiones: cibus enim vel est crassus, vel mediocris, vel tenuis, vel exactè tenuis, vel tenuissimus,

simus, vel exactè tenuissimus, vel est in maxima copia, & quantitate, vel minori, vel mediocri; vel est bonæ, vel malæ qualitatis; vel datur, vt medicamentum, vel vt alimentum; quæ quidem omnia diuersam instituunt victus rationem, vt dicemus. nam etsi ex allatis possit rectè deduci modus exhibendi alimentum, tamen quia hęc sunt valdè principia vniuersalia, & remotissima, quæ non possunt benè comprehendi, nisi à Medicæ facultatis peritissimis; idcircò habito de vniuersali ægrotantium recta ciborum curatione sermone, ad particulares quasdam obseruationes de more Medicorum omnium est veniendum, vt id, quod initio, proposuimus, agamus.

Morbus itàque inspicitur à Medico, non vt victum indicans: cùm cibum, sicut sano robur, ità ægro morbum esse, dixerit *Hippocrates*, K sed vt cibum à natura indicatum valens prohibere. cùm igitùr morborum plures sint differentiæ, quę diuersimodè corpus afficiunt, diuersimodè virtutem modificat, ac varia sint tempora, quibus corpus affligitur, varia erit instituenda corporibus taliter affectis victus ratio. Est morbus alius diuturnus, & cronicus, alius breuis, & acutus. Morbus diuturnus est, qui ad minùs ad quadragesimum terminatur diem, multoties ad quatuor, & sex menses, ac etiàm ad annos integros extenditur, aliquandò ad mortem vsque perdurat. Acutorum verò morborum alius dicitur exactè acutus, qui

K 7. apho. 6.

in decimoquarto die terminatur, alius acutus non exactè, qui peruenit ad vigesimum, vel vigesimum primum diem, alius acutus ex decidentia, qui ad quadragesimum extēditur, alius peracutus, qui septimo die cessat, alius deniq; perperacutus, qui non pertransit tertium, vel quartum diem, & quandoque eadem, qua corripit hora, enecat. Rursùs morborum acutiem aut humorum benignitas comitatur, aut ipsorum corruptela, prauitas, ac venenositas, vnde benignorum, ac malignorum morborum sumitur denominatio; & quidem benignus morbus regulatæ putredinis dicitur esse à *Galeno*, l qui supra propriam naturam nullum graue habet sympthoma, putredinis verò irregulatæ dicitur malignus, qui cùm peioribus, quàm pro suæ naturæ ratione, sympthomatibus coniūgitur, quique periculum minans, vt cùm *Galeno* loquar, m spem salutis non adimit. Variæ etiàm sunt tempora: nàm morbi omnes siue diuturni, siue acuti diuersa habent tempora, & vniuersalia, & particularia, quorum omniū principium differt ab augmento, augmentum à statu, status à declinatione; quarè variè erunt cibanda huiusmodi corpora, prout variè eorū vires cibum ferent, prout variè erunt morbi, morborumque tempora. certum nàmque est, & omninò indubitatum vires esse præcipuum alimentorum indicans, prout tamē modificantur à morbo in ægris, vt sępius diximus; corporis verò substantia, ætas, regio, tempus anni,

l 1. apho. 17.

m libr. 1. porrhet. t. 14.

anni, & consuetudo, quatenùs coindicant victum semper in ordine ad vires considerantur: quarè summoperè erunt spectandæ in ciborũ administratione. Et quidem vires sunt perscrutandæ, N, nàm ideò ægros cibamus, quia vires sine cibo non possunt substineri, non vt morbus propellatur, vt mulierculæ, & popelli putat, cùm hoc sisequatur, per accidens sit: quatenùs scilicet vires non omninò debiles superant caussam morbificam, morbum expellunt. Sed vt iàm tandèm hæc veritas à primæ notæ, magnæque doctrinæ auctoribus edocta, nobis manifestetur, excurrite passim, N, per omne morborum genus, examinate omnes, quibus corpus affligitur, vias, quæcumq; symp thomata perpendite, vestram ipsam methodũ, quam hic Panormi obseruatis, considerate, & sanè illud vobis erit manifestum, me nec latũ quidem vnguem à veritate discessisse. præbetis enim victũ pleniorem in morbis cronicis, hunc postponitis tenui victui in acutis, hoc forsan non facitis, vt viribus taliter à morbo dispositis satisfaciatis? pleniori victu in morbis cronicis cibatis? nàm si in his morbis natura longo tempore debet pugnare cum morbo, haudquaquàm poterit perseuerare in pugna, ac morbum superare absque pleniori victu; nàm in tenui victu ægros delinquere dixit *Hippocrates*. pleniori victu in morbis cronicis cibatis, quia ad victum tenuem maior cõsequitur spirituum deperditio, caloris, humi- *n° 1. apho. 5.*

 dique

diquę substantifici resolutio, ac membrorum consumptio, quàm ad pauló pleniorem, quarè victus plenior est anteferendus; alioquin longitudine morbi vires detritæ, numquàm conseruarentur, ad quod principaliter debemus attendere. at non ità se res habet in morbis acutis, in quibus tenui victu ægrotantes cibatis, non solùm quia, cùm morbi acuti sæpiùs per crises soleant terminari, crises à ciborum quantitate, & plenitudine possent impediri, verùm etiàm quia, cùm in morbis acutis tempus ægritudinis breue sit, non opus est virium custodia, sed sufficit, si illas moderatè debilitatas conseruamus, ne fiat additio ad morbum: quia natura per cibum à morbi pugna diuertitur; ac excrementa cibi morbum augent. Sed dicet aliquis, nonne vires sunt illæ, quę certant cùm morbo? nonne morbi expulsio per vires habetur? quomodò igitùr debilitatæ debent conseruari in morbis acutis? quomodò superabunt morbum tenui victu vires minuente, vt cùm *Galeno* loquar, detritæ? Respondeo id, quòd pauló ante dixi, ne scilicet distrahatur natura à certamine per cibum, ne ex excremẽtorũ copia morbus augeatur victũ dari tenuẽ, q dicitur minuẽs vires à *Galeno* respectu viriũ, nõ respectu morbi: cũ ex virium diminutione cũ pauco cibo morbus expellatur, q apertè
9. meth. 4. patet ex *Galeno*, qui ideò commendat in curatione febris synochæ venæ sectionem vsque ad animi deliquium, quia post animi deliquiũ

dique natu-

natura exonerata se extollit, statimque morbũ superat. cùm & statim vomitus excitetur, alui deiectio, sudores, & madores. Quoniàm verò quatuor sunt morborum, vt diximus, acutorũ species, & quatuor etiam tenuiorum ciborum diuersitates; vos hac de caussa cõsultò cuilibet dictorum morborum speciei, prout res postulat, varium cibum ex dictis tenuiorum speciebus applicare consueuistis; atqueadeò morbo acuto non exactè victum tenuem præbetis, exactè acuto exactè tenuem, peracuto tenuissimum, perperacuto extremè tenuissimum, & licet aliquandò ab hac methodo vos maturè discedatis, non ideò procùl estis ab *Hippocratis, Galenique* doctrina; nàm & ipsi statuerũt haudquaquàm victum exactè tenuem exactè acutis esse dandum, cùm aliquis adest affect⁹, qui ipsum cibum valeat prohibere, vt de pleuritide animaduerterunt *Hippocrates*, & *Galenus*; *p* & peracutis morbis, dùm virium adest defectus exactè tenuem, ac tenuem nõ exactè, non tenuissimum victum dandum esse cõsulit *Galenus*. *q* neque his temporibus victum extremè tenuissimum, omnimodam scilicet ediã, quàm perperacutis morbis *Hippocrates* præscripsit, audemus instituere, non quia hisce tẽporibus corpora sunt imbecilliora, vt notant *Fortunatus Fidelis*, *r Sanctorius*, *s* alijque; cùm contrarium, Deo fauẽte, alibi probaturus sim, sed quia multa sunt corpora, quæ pluribus diebus ieiuna esse nequeunt, vt Disceptatione pri

p 1. de ration. vict. 23.

q comm. 1 aph. 4.

r libr. 15. contempl. Med. c. 1.

s libro 1. aphor. 4. in comm.

prima diximus, ac ratione consuetudinis, regionis, temporis anni, & ætatis dierum trium, vel quatuor inediam ferre non possunt; cùm multis ab hinc annis bis quotidiè cibum sumere consueuerint; ac multis etiàm in locis ter, & quater etiàm, vt nostri Hispani, qui, præter peculiarem illam suam potionem chocolaticam paulò post quàm expergiscuntur ientaculum sumunt, quod aeris frigiditas caussat; videmus enim homines in regionibus frigidioribus, ac septentrionalibus pleniori cibo, ac pluribus vicibus vti; quarè in Germania Religiosi viri, qui ceteroquin singulari, ac laudabili victus sobrietate, & parsimonia excellunt, tamẽ ob regionis frigidissimam qualitatem vsque adeò cibo frequenti indigent, vt ne impasti ad lectiones audiendas accedant, & nos hic in Sicilia videmus multas Vrbes, & Oppida, vel eò quia in editioribus locis sita sunt, vel quia Aquilonaribus flatibus patent, ac obid frigida sunt. Incolas habere edacissimos; quod ipse testari possum, qui cùm in Regione Panormitana omnium temperatissima natus, & educatus essẽ, ac propterea mediocri cibo, vt reliqui Panormitani omnes, vterer, & cũ Messanæ Doctoris laurea donandus anno 1648. Mense Octobris commorarer, insolita cibi quãtitate vescebar; est enim aer eius Ciuitatis variis, ac inconstantissimis ventorum flatibus agitatus, & frigidissimus, vndè *Thomas Fazellus* ait Catarrhos Messanensium esse familiares; proptereà Sen-

nertus [u] vir sanè doctissimus, qui septentrionales Populos edaciores vocat, ijs magis nocere omnimodam inediam affirmat; quamobrem loco inediæ integræ melicrato, vel iusculo aliquo, vel quod equipolleat his, vti; loco ptisanæ colatæ, integra ptisana, imò loco ptisanæ piscibus, ouis, carnibus vti licere asserit: cùm Nationum, Naturarumque diuersitatem attendendam esse testetur. u lib. 1. de febrib. c. 9.

Iure igitur optimo nos hic Panormi, ob cæli clementiam, etsi omnimodam nō seruemus inediam in perperacutis morbis, consuetudinis ratione, vel alia de caussa iuscula, & ptisanā, tenuissimum, tenuemque victum, prout res postulat, præbemus, numquàm ad pleniorē, crassumque accedendo. Neque opinor sapientissimum *Hippocratem* omnibus perperacutis morbis victum extremè tenuissimum præbuisse, ne in aliquam contradictionis notam incideret; cùm hæc omnia consideranda esse in prima aphorismorum sectione doceat: dùm [x] *Condonandum aliquid esse*, ait *tempori, regioni, ætati, & consuetudini*. quod ipse ipsius *Hippocratis* auctoritate, ac rationibus hac in ipsa Disceptatione suprà probaui. Imò dixit idem *Hippocrates* [y] *Coniectari autē oportet, an ager sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & numquid priùs ille deficiat, nec possit cùm victu perdurare, vt morbus antè deficiat, atque hebetescat.* Oportet enim Medicum vires cùm morbo conferre, ac præscire an vires cùm morbo pari robore consistere x aph. 17. y 1. aph. 9

stere possit vsque ad statum, si possunt, non debet victum variare, si autem vires deficiant, & morbus manebit, tunc etsi peracutus sit, pleniori cibo debet vti; quod etiam *Galenus* docuit. z illis verbis *Quoties vires ferunt, exhibendus est cibus conueniens ratione morbi: quoties verò non ferunt, augendus est victus, qualis esse potest conueniens ratione virium robustarum.* Quam doctrinam, de qua hactenùs egimus, Medicorum vexillifer *Hippocrates* ea, qua vtitur breuitate, sic aphorismo quarto a comprehendit vniuersam *Victus*, inquit, *tenuis, atq; exquisitus in morbis quidem longis semper, in acutis verò, in quibus non conuenit periculosus: Et rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis grauis est. Nàm & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.* vt enim habet sapientissimus *Sanctorius in commētu* in prima parte damnat victum tenuem, atq; exquisitum in morbis longis, & in acutis non exactè, ac ex decidentia, quia pro his esset cib' nimis tenuis, ac in peracutis, & perpet acutis, in quibus esset cibus plenus. In secun da parte damnat victum extremè tenuem, vbi cōuenit, hoc est in morbis cronicis, acutis non exactè, ac ex decidentia. & in tertia parte damnat victum exactè crassum, qui in nullo morbo cōuenit: vndè colligimus *Hippocratē* sēper ab extremis abstinuisse, ab immodica nimirū repletione, & immodica inanitione. Ex quibus omnibus luce clariùs patet, N; quàm recta sit hac in re vestra methodus, quàm *Hippocratis*

z 11. meth. cap. 3

a libro 1. aphor.

cratis menti consentanea, quàm laude digna, quàm vtilis, quàm necessaria, quæ in morbis cronicis pleniori cibo vtendum esse docet, ac tenui in acutis. quis enim neget rationalem esse hunc curandi modum? nàm omnibus patet peregrinum, quandò longum iter aggreditur maiorem secùm ferre cibi quantitatem, quàm si breuiùs iter facturus sit; sic etiã nauis tempestatibus, ac fluctibus agitata tutior esse non potest, nisi omnibus rebus instructa sit, quæ ad quodlibet iter perficiendum requiruntur: nàm si ijs rebus careat, vndarum vorticib' abrepta facilè peribit, quod naui nõ eueniet, quæ non longè distet à portu, cùm id tandèm certum sit portum capere illam nauim, quæ benè ijs omnibus rebus munita sit; sic in medio certamine deficiet equus, qui nisi debita cibi quantitate refectus longum itineris curriculum perficere non poterit, etsi necessarium non esset tanto cibo equum reficere, qui stadium, exempli gratia, currere deberet; sic etiã innumera alia, quæ possem afferre exempla, nos docent. Quarè videtis opinor, N, naturam in morbis cronicis, qui longissimi sunt, ne detritis viribus morbi nõdùm adhùc exacto curriculo deficiat, pleniori cibo indigere, in acutis verò tenuiorem satis esse.

Atque hinc est, quod ægris maligno morbo affectis pleniorem victum præberi opus esse, magnorum virorum doceat auctoritas, ratio, ac experientia ostendant, vos etiàm, qui quo-

tidiè eam adhibetis non sine felicissimo euētu, fidem faciatis; ꝑ ne aliter agendo, exhaustis spiritib⁹, & liquata carne, resolutis viribus ægros morti daretis: hic enim nequaquàm attendendum est ad morbum, licet perperacutum, sed ad vires, quæ cùm valdè à morbo conterātur, ac debilitentur, pleniori indigent cibo: certum námque est, ac per doctorum ora vagatur proprium, ac malignarum febrium inseparabile esse, vires prosternere: cū pernicies malignarum febriū cordi, vt cætera venena, potissimū insidietur, ac partib⁹ ōnib⁹ principalioribus; at vbi vires labuntur, nō licet victu tenuissimo secundùm *Hippocratis*, *Galenique* mentē vti, *Coniectari autem oportet, an æger sufficiat perdurare, donec morbus consistat: & numquid priùs ille deficiat, nec possit cùm victu perdurare; vt morbus antè deficiat, atque hebetescat*, inquit *Hippocrates*, & *Galenus in commēto*. *Quod si imbecillior extiterit, adÿciendum est aliquid victui, & plenior est adhibendus tanto, quantùm virium imbecillitas expostulat*. At non solùm ratione virium, sed ēt ratione malignæ qualitatis humoris peccantis damnatur à *Galeno* cibus tenuissimus in morbis malignis, ad compescendam nimirùm, attēperandamque deterrimam illam, malignamq; qualitatem ex valida humorum corruptione emanantem: quod apertissimis verbis docuit Medicorum Princeps Pergamenus ille, dùm b *Si sæpiùs, ait, aut rarò, siue ōninò nutrire oporteat: ab ægritudine, & viribus primùm; & maximè a-*

b libro 1. aphor. 17. in comm.

cipitur

cipitur: post hoc autem, & ab anni tempore, & ab ætate, & talibus. Si enim vires laborantis debiles fuerint, & ea, quæ in corpore est dispositio, fit ex corruptione humorum, vel defectu: parùm alimenti sæpiùs talibus afferemus parùm quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simùl multitudinem alimenti sustinere; sæpiùs autem, quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidem exigit adiectionem, corruptio verò contemperamentum, ex qua *Galeni* auctoritate manifestè deducitur victũ tenuem haudquaquàm conuenire malignis febrib⁹, ijs scilicet, quæ ex humorũ corruptione, ac deprauata qualitate fiunt, tùm quia ex eo vires nõ roborantur, tùm quia magis humorũ corruptio excitatur, & venenosa intenditur qualitas, quæ quidem ex pleniori victu attemperaretur, ac remitteretur; atque hoc modo intelligendus venit *Hippocratis* c aphorismus ille, qui vel minimè, vel diuersimodè à præstantioribus Medicinæ oraculis explicatur. vbi habet diuinus senex, quod *In tenui victu ægri delinquunt; quo fit, vt magis lædantur: quicumque enim error committitur, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniori victu. Præterea etiàm sanis periculosus existit valdè exquisitus victus, & constitutus: quoniam errores grauiùs ferunt; ob hoc igitur tenuis victus, atque admodùm exquisitus, eo qui fit paulò plenìori magis periculosus.* hic enim vult ostendere Hippocrates, vt explicat subtilissimus *Sanctorius*, victũ exquisitè tenuem non conuenire morbis acutis exactè ratione virium debiliũ,

c *Libro 1. aphor. 5.*

quia in victu tenuiori ægrotantes debiliores magis peccant, quàm in paulò pleniori; quod præceptum ad omnes morbos ampliari posse *Sanctorius* affirmat, qui fusè, ac doctissimè, reliquorum Auctorum variam mentem confutãdo, hunc esse verissimum Hippocratis sensum euidentissimis rationibus, ac apertissimis probat auctoritatibus, quarè si in morbis malignis vires deficiunt, tenuis victus haud competet. vndè testatus est *Galenus d* eos in statu pestilenti euasisse, qui sibi vim iniecerunt, & fortiter comederunt, & *Auicenna e* dixit de febre pestilenti, quod *qui viriliter bibit, & viriliter comedit, à peste liberatur*, atque in hanc sentẽtiam iuere subtilissimus *Cardanus, f Ludouicus Mercatus, g* vir sanè in omni scientiarum genere versatus, percelebris *Zaccutus h* Lusitanus nemini præstantissimorum Medicorum secũdus, *Marcus Antonius Alaymus, i* suprà cùm laude citatus, laudatus verò numquàm satis, Panormitan' noster *Ioseph Galeanus, k* & quid est quin dicam noster Apollo? quis enim tantùm non demiretur ingenium in philosophicis, ac medicis rebus præstantissimum? ne de aliis facultatibus loquamur, quibus ad miraculũ vsq; exornatur, ac *Gauinus Farina l* Sardus Turritanus amicissim' meus, qui Sardiniæ oraculũ Hippocraticis illustre dogmatib' appellari põt. qui omnes vnanimiter cùm *Galeno* statuerunt ratione roborandarum virium, ac etiàm ob morbi comprimendas malignitates pleniorem cibum

d *libro 3. epid. sect. 3. cõm. 58.*
e *1.4.tr.4 cap.4.*
f *lib. meth. meden. cap.80.*
g *lib.1. de febr. pestilent. & malign. cap. de febrib. mal. curat*
h *lib.3. de med. Pri. hist. 11. q. 20.*
i *libr. de vlcer. syriacis.*
k *Ep. med. de febre. Epidem. c. contr. vn. de vic. rat.*
l *Patroc. medic. q.5.*

bum esse adhibendum; quod etiam fieri ego existimo, vt calori pabulum præbeatur, calori, inquam, tàm externo, vt in ardentibus febrib⁹. quàm interno, vt in lypirijs, quarum febrium cùm immodicus sit calor, ni pleniùs pabulum assumat humidũ radicale, partesque ipsius corporis, necesse est deperdi.

Sed ad vberiorem doctrinam petent aliqui Medicinæ Tyrones; quomodò primis diebus præcognósci possit quo tempore, & quo die sit terminaturus morbus, an morbi sint perperacuti, vel peracuti, vel acuti exactè, vel non exactè acuti, vt ex huiusmodi cognitione possit rectè præberi secundùm *Hippocratis, Galeni*què præcepta victus exactè tenuissimus, tenuissimus, exactè tenuis, & tenuis. Respondeo breuiter, cùm fusè huic quęsitui satisfecerit acutissimus *Sanctorius*; *l* hoc ex motu ipsius morbi, ac ex sympthomatum vehementia dignosci posse. ex motu ipsius morbi eius Idea, & species cognoscitur: si enim velociter mouetur, Idea, & species est de morbis acutis, peracutis, & perperacutis, si autẽ tardè, de morbis cronicis, & longis, quod sanè ex ipsorũ morborum statu desumitur: nàm qui citò terminantur, citò ad statum vertuntur, vt patet de Apoplexia Epilepsia, Angina, & cæteris, qui morbi perperacuti dicuntur: longi autem morbi sunt illi, qui tardè ad statũ se conferunt, sicuti est Quartana, Paralysis, Hydrops, &c. quarè dixit *Hippocrates* m *Accessiones, & Constitutiones morbi indicant*

l 1. *apho. 4. in cõm. quæst.* 18.

m 1. *aph.* 12

cant. ideſt morbi ſpecies ſunt illæ, quæ indicāt an breues, an mediocres, an longi ſint morbi. Dignoſcitur morbi ſpecies ex ſympthomatũ validitate, ac motu: ſi enim ſtatim, & in morbi principio vehementia apparent ſympthomata, vehementes acceſſiones morbum peracutũ eſſe, eſt dicendum: nàm *Vbi morbus peracutus eſt ſtatim extremos habere labores* inquit *Hippocrates*; *n* hinc eſt quod *Galenus* *o* quatuor circa morbum conſideranda eſſe doceat, Ideam ſcilicet, Magnitudinem, motum, & morem. Magnitudo morbi ex ſympthomatum magnitudine deducitur, quæ ideò, vt præclarè notat Mercurialis *p* dicuntur hic ab *Hippocrate* labores, quia verè laborem, & moleſtiam corpori afferunt. Motus verò ex ſympthomatum celeritate, vel tarditate colligitur, vbi igitùr extremi ſunt labores, ac vehementiſſima ſympthomata, & ſtatim, morbus erit magnus, ſiue extrem⁹, & peracutus, tantòque maior, & acutior, quantò maiora, & celeriùs fiunt ſympthomata, vbi verò ſympthomata non ſtatim, etiàm ſi validiſſima ſint, apparuerint, morbus haudquaquàm erit extremus, & peracutus. proptereà tunc dicimus eſſe morbum perperacutum cùm *Santorio*, cùm grauiſſima apparent ſympthomata in primo, vel ſecundo die, hæc enim indicant morbum tertio, vel quarto die terminari. tũc peracutum cùm ſympthomata in tertio, vel quarto die apparent, quæ morbum ſeptimo finiri denotant, & ſic de ſingulis, de quibus omnibus

n 1. aph. 7.
o lib. 1. et 3. de critibus.
p in cõm. 1. aphor. 1

nibus per otium poterit quilibet consulere citatum *Sanctorium*.

Petent secundò. An cibus multus tenuis sit plenus, & an paucus plenus dici possit tenuis? Respondeo breuissimè, omnibus aliorũ omissis responsionibus, cibũ tenuissimum, etsi in maxima copia sumptum, non posse dici plenum, neque plenum in minima quantitate dici posse tenuem. probant hoc euidentissimis rationibus eruditissimi *Hieronymus Cardanus*, q & *Sanctorius Sanctorius*, r ad quos vos remitto: plùs enim nocet ventriculo ciborum qualitas, quã quantitas, siquidem patet experientia, quod si præbemus victum tenuem in maxima quantitate, & plenum in minima, ventriculus facilius concoquet victum tenuem, quàm plenum: quare compertum est apud omnes vti victu pleno illum, qui quartam partem vitelli oui assumit, victum verò tenui, qui libras quatuor ptisanæ colatæ assumit, & faciliùs concoqui a ventriculo libras quatuor ptisanæ colatæ, quàm ouum, aut quarta pars oui. imò vult *Galenus* s faciliùs concoqui integrum ouũ, quàm quarta pars oui, cùm sit minor quantitas nàm, vt habent *Cardanus*, & *Sanctorius* citati, victus non coquitur, nisi ventriculus illum amplectatur, cùm igitùr ventriculus non possit amplecti quartam oui partem, cùm sit minima, vndè relinquuntur spatia inania inter ventriculum, & cibum, cibus in ventriculo opus est, vt maneat crudus, & non coquatur. Confirmat hoc

q *in cõm. 1. aphor. 4.*
r *loco cit. quæst. 19.*
s *3. de fa. cult. nat. 4.*

hoc experientia, quia faciliùs distillantur ex eodem alembico duæ libræ cremoris ptisanæ, quàm ouum, & faciliùs ouum, quàm quarta eius pars.

Petent tertiò, an in morbis maior error sit inclinare ad rationem victus tenuiorem, an ad pleniorem. cuius petitionis solutio licet possit colligi ex dictis, tamen quia de eo maxima habetur discrepantia inter doctores, nō videtur id paruifaciendum: nàm sicut Arabes absque vlla controuersia omnes vnanimiter statuunt, maius esse peccatum in victu recedere per tenuitatem, quàm per crassitiem; ità nostrates maximè inter se controuertuntur, & in varias distrahuntur opiniones, quorum complurimi ex toto contrariam Barbarum tenent sententiam, alij media via incedunt, de quibus Auctores potestis consulere, & præcipuè *Io. Manardum*, [t] *Franciscum Vallesium*, [u] *Septalium*, [x] *Zacutum*, [y] *Sanctorium*, [z] & perspicacissimum *Santorellum*. [a] idcircò meam tantùm proponā sententiam clariori sermone: si enim omnium vellem, & afferre, & confutare opiniones, in immensum excresceret Oratio. Dico igitùr, quod, cū Morbi, & acuti sint, & cronici, vt superiùs dictū est, ac vires ægrotantiū debiles, & validæ, in Morbis acutis magis læduntur ægri victu pleniori, quā tenui, è contrà in cronicis iuuantur à pleniori, læduntur à tenui, ac etiàm vbi adest viriū defectus nocet victus tenuis, prodest plenior, & è conuersò.

t *lib. 4. ep. med. epist. 2.*
u *lib. 8. cō trou. med. cap. 1.*
x *lib. 2. caution. medic. nu. 21. & 22.*
y *libro 4. prax. med. cap. 6.*
z *comm. 1 aphor. 5.*
a *libr. 15. anteprax. med. c. 4.*

Fauet huic sententiæ quilibet Hippocraticæ doctrinæ sectator, & primæ parti sapientissimus *Sanctorellus* [b] nostri æui miraculum, qui pro se citat *Hieremiam Triuerium*; secundæ, subtilissimus *Cardanus*, [c] & *Sanctorius* vir præstantissimus proximè citatus. & quidem in morbis acutis maius esse peccatum in victu inclinare ad pleniorem, quàm ad tenuem: è contrà in cronicis patet ex eo, quod si semper *Coniectari oportet an æger cùm victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat*, vt inquit *Hippocrates*, [d] cùm in cronicis morbis non sufficiat æger cùm tenui victu perdurare vsque ad morbi vigorem; debemus dicere, quod maius peccatum sit in cronicis morbis tenuem victum præscribere, quàm pleniorem: periculum enim est, ne in longo itinere deficiant vires, vt sæpiùs diximus; hoc autem non est timẽdum in acutis, qui pauco tempore perdurant, (dummodò non adsit virium defectus) quibus ob sympthomatum vehementiam, morbique immanitatem victus tenuis est præbendus. ꝙ si etiàm in acutis inueniatur, vel pertimescatur virium lapsus, tunc plùs nocebit tenuis victus, quàm plenus, vt ex dictis patet, & *Galenus* confirmat *in commẽtu quarti aphorismi libri primi Hippocratis*, vbi docet, quod si vires sint debiles in peracutis loco mulsæ dandus est cremor ptisanæ, ne in tenui victu peccent ægroti. & *in commentu quinti aphorismi* dixit *errata esse maiora in tenui victu, quia ægri cùm hoc victu ob*

b *loc. cit.*
c *comm. 1 aphor. 5.*
d *l. 1. aph. 9.*

debilitatem, non peruenirent ad statum, quod non accideret in agris robustis. probatur etiam cõclu sio ex superius allatis *Hippocratis* verbis *aphorismo quarto, & quinto libri primi*. quibus nihil ad hanc rem probandam efficacius inueniri põt, vt *Cardanus*, & *Sanctorius* citati in commentarijs ad dictos aphorismos miro sapientiæ lumine ostendunt. est autem aduertendũ, quod ijs, quibus competit, dandus est victus in qualitate plenus, non in quantitate, iuxtà *Hippocratis, Galenique* mentem: nàm si de quantitate esset sermo, periculosior esset victus plenus in maxima copia, in omnibus, quia strãgularet. Ex quo cessare argumenta de immodica repletione, quæ proueniunt ex malo intellectu tenuis, & pleni Auctorum, dicimus cũm *Cardano*. quod si multi ex vnica intempestiua cibatione mortui sunt, vt habent *Zaccutus*, alijque, sunt mortui, quia permaximam sumpserunt ciborum copiam, non quia cibum pleniorem in qualitate sumpserunt, ac in pauca quantitate, vt ex eisdem *Hippocratis* historijs ab eodem *Zaccuto* allatis deducitur, ac ex eiusdem *Zaccuti* verbis patet. pereunt quidem è conuersò, ac quotidiè perierũt innumeri ex victus extremè tenuissimi exhibitione. quam veritatem rectè perpendens *Galenus lib. 1. aphor. 17. in comm.* pro varia morbi, viriumque ratione, variam victus rationem præscribit, cuius verba hic sanè afferrem, ne in prolixitatis notam incurrerem.

Tandem tempus iam esse censeo ad tempo

ra

ra morborum deuenire, quæ ex *Hippocrate*, e & *Galeno*, f aut sunt vniuersalia, aut particularia. vniuersalia intelligimus esse tempus totius morbi à principio vsque ad finem; particulare verò tempus accessionis, seù parocismi, principium scilicet, Augmentum, Statum, & Declinationem. Et quamuis superflua nonnullis videatur hæc temporum consideratio circà victus institutionem; cùm tempus physicè sumptum nihil aliud sit, nisi mensura motus primi mobilis; & diem, hebdommadam, mensem, & annũ constituat, à quo nulla sumitur indicatio; tamẽ quia non cõsideratur per se, sed quatenùs pars est, & mẽsura motionis caussæ morbificæ, qua ratione in quatuor morbi tempora diuiditur; idcircò summoperè mihi videtur necessaria huiusmodi tractatio, cùm in hoc sensu à tempore curatoria indicatio eliciatur, non solùm ad victus rationem, sed & ad inuentionem remediorum, & ad prognosim, vt præclarè *Galenus* habet *lib. de totius morbi temporibus cap.* 4. Et quia tàm vniuersale tempus, quàm particulare quatuor habet tempora, vt cõmunis docet Medicorum schola, principium scilicet, augmentum, statum, & declinationem, idcircò, vt distinctiùs procedamus, venit primò considerandum tempus vniuersale, ac rectam præscribere victus rationem pro huiusmodi temporis deuersitate. Pro qua re celebris est, & peruetusta Medicorum sententia, Victum extenuando procedere debere, atque adeò copiosiorẽ esse

e *1. aphor. 12.*
f *l. b. 1. de crisibus.*

in principio offerendum, tenuissimus in statu. Probatur conclusio *Hippocratis* auctoritate, qui *lib.* 1. *aphor.* 8. docuit *Cum morbus in suo vigore consistit, tunc victu tenuissimo vtendum esse*. quem secutus *Auicenna* g dixit *Et dignior horarum ad subtiliationem est status, hic enim est vehementia occupationis naturæ in pugna materiei, & non oportet, vt ab ea recedens, occupetur alia, & propriè apud crisim.* & clariùs *Tempus*, inquit, *magis conueniens ad intrassandum est principium, & tempus magis conueniens ad subtiliandum est status.* & inferiùs ait *Verùm est tibi necessarium cùm in hoc, tùm in omnibus speciebus, vt sit principium tui regiminis grossius, & postremum tui regiminis perueniens ad statum, subtilius.* probatur etiàm conclusio rationibus, tùm quia morbus minor est in principio, & alimoniã magis permittit, tùm quia vires in principio robustiores sunt, & virtus minùs intenta coctioni caussæ morbificæ: nàm quantò morbus est vehementior, & sympthomata validiora, tantò magis victus est interdicendus: cùm morbus natura sua, & ob sympthomata cibum prohibeat, vt diximus ex *Galeno*, h qui etiàm alibi dixit quod *inedia quantùm prosunt ad morbi coctionem, tantũ vel etiàm ampliùs officiunt viribus: cibi verò, quãtùm ægroti robur adaugent, tantùm coctiones impediunt.* cùm igitùr morbus maior sit in augmento, quàm in principio, & multo maior in statu, quandò fortiora sunt sympthomata, quàm in augmento, & principio, iuxtà vulgatam *Hippocratis*

g 1.4.tr.2 cap.8.

h lib.1.de art. curat. ad Glauc. cap.10.

cratis i doctrinam, quã dicit *Circà initia, & fines omnia imbecilliora; cùm verò cõsistuñt validiora* esse; sequitur manifestè morbum magis prohibere victum in statu, quàm in augmento, & principio: quibus accedit, quod natura in statu tota incumbit concoquendis morbificis humoribus, propterea non est distrahenda ad ciborum confectionem. Attamen licet hæc verissima sint, non ideò tamẽ mihi videtur in omnibus huiusmodi victus ratio esse prescribẽda: complurimi etenim sunt morbi, qui huic opposita curantur methodo, quos in principio victu attenuante, copiosiori in statu curare opus est; & primò in abscessibus pectoris, & pulmonis in statu opus est, vt plenior victus offeratur, dummodò sympthomata facta fuerint mitiora, quarè *Hippocrates* k in pleuritide quantò maior fuerit excreatio, tantò magis ad iudicationem vsque dare oportere affirmat, cuius rei triplicem assignat rationem *Zaccutus*, l primam, nàm in pleuritide ad prouocandum sputum, quod summoperè facit ad pleuritidis curationem, requiritur virtutis robur, quod cibo comparatur; secundam, quia facultas expultrix, per quam fit excreatio in pleuritide, est animalis, quæ non ità perturbatur, ac distrahitur à sua operatione per cibum, sicut expultrix naturalis, vt optimè notat *Aphrodisaus*; m tertium, quia *Hippocrates* ex humiditate vel siccitate morbi sumit ciborum indicationem, & cũ morbus est siccus, in toto eius processu

i *libro 2. aphor. 30*

k *lib 1. acut. nu. 23*

l *libro 4. prax. hist. cap. 5.*

m *5. probl. 8.*

cessa

cessu minùs cibandum esse docet, plùs verò, cùm est humidus: morbus nàmque humidus, qui notabilem aliquam habet vacuationem annexam, benignior est, & minùs periculosus, quàm siccus, ac ad euacuationẽ robur virium efflagitat, quod cibo conciliatur. Secundò vbi morbus ità affligit copia sua, vt timor sit ne repentè possit suffocare, tunc in principio tenuiter cibandum. Tertiò in augmento, aut in statu morbi pleniùs erit cibandum, si hoc tempore aliquod superuenerit sympthoma virtutem prosternens: vt citissimè vires refocillentur. Quartò in principio ad imminuendam caussã tenuiùs cibamus in illis febribus, quæ in principio maximè vigent, ac valdè infestant, & circà iudicium, & in ipsa iudicatione imminuuntur, vt docet *Hippocrates* 1. *epid. sect.* 3. *t.* 10. propterea *Galenus* n succis, qui febrem excitauerant, iàm ad coctionem venientibus, carnem concedit, cuius esum anteà non permittebat, vt refert *Zaccutus*. o Quintò in febribus malignis, & pestilentibus, in quibus semper supponitur virium lapsus, in statu plenior victus est offerendus: nàm ægros, qui in peste viriliter comederunt, & generosè biberunt, ab ipsa fuisse liberatos, testatur *Galenus*, p *Auicenna*, q & *Rasis*, r qua quidem ratione *Galenus* s in febribus colliquãtibus, in quibus màxima adest virium resolutio, in statu pleniorem cibum propinat, ne vires deficiant: cùm minùs sit estimanda noxa, quæ in statu contingit ex pleno cibo, quàm mors,

n 12. *meth.* 6.
o *loc. cit.*
p 3. *Epid. sec.* 3. *cõm.* 77.
q *l.* 4. *tr.* 4 *cap.* 4.
r *libr.* 16. *cont. c.* 6. *pag.* 38. *colum.* 1.
s 12. *meth.* 3.

mors, quæ ex omnimodo virium lapsu, toto corporis habitu resoluto, imminet certissime. demùm quandò timor est arefactionis, aut lapsus in hecticam febrem, crassiùs est cibandum in statu ex *Auicenna*, [t] quod nos alibi diximus. quibus positis dicimus cum eruditissimo *Zacuto*, quod quandò morbus cognitus est simplex, & virtus constat, sumpta indicatione à morbo, si seruat materiam ad vnam criticam euacuationem, victus ratio debet procedere extenuando, & consequẽter minùs est cibandũ in statu, quàm in augmento, minùs in augmento quàm in principio. è contra verò si res non ità se habet. quod apertè ex dictis patet: quandoquidem tunc omnia tempora coincidunt: morbus siquidem est in principio, augmento, & statu non solùm quoad alterationem materiæ, sed etiàm quoad essentiam, ac symptomata, quarè cùm morbus, & symptomata minora sint in principio, maiora in augmento & vehementiora in statu, sumpta indicatione ab ipso morbo, pleniùs in principio, tenuiùs in augmento, tenuissimè in statu est cibandũ. t 1.4.tr.2. cap.2.

Et vt tandèm ad tempus particulare deueniamus. Docet communis, ac rationalis methodus, quam nos insectamur; haudquaquàm cibandum esse in principio, augmento, aut statu morbi, sed solùm vel in declinatione, vel in interuallo, vel multò antè principium paroxysmi, vel pauló antè. Probatur prima pars conclusionis ex *Hippocrate*, qui statuit, quod *In accessio-*

cessio.

cut obseruauit *Hippocrates* in ægro innominato, qui cœnauit calens, & mortuus est; in filia Philonis, quę quia intempestiuè cœnauit, obijt; ac in filia Eurianactis, quæ ob vuæ racemum in principio paroxysmi commextum incidit in phrænitidem. Impeditur transmissio humoris è maioribus ad minores venas per cibum; quia natura, quæ in principio, ab humoribus ab ambitu corporis ad centrum refluentibus suffocata, tota incũbit ad illius expulsionem, & tueri principes partes, maioresque venas intactas seruare nititur, non solũ suffocatur magis à cibo, vt *Galenus* y ait, verùm etiàm occupata circà illius coctionẽ, distrahitur ab incepto opere, ab expulsione scilicet, humorisque peccantis coctione, qui humor derelictus ampliùs putrescit, ac febrem, morbumque vehementiorem accendit. vndè meritò *Hippocrates* z phtyssanã prohibet in accessionis principio, licet inter cibos medicinales, & tenues numeretur, ac a adducens accidentia quæ contingere solent in principio paroxysmi, dicit, quod ægris in hoc tempore *venter de necessitate calet, fastiditque cibum, intenditur Hipocondrium, ardetes æger, lancinatur, vellicaturque, vomere affectat.* Secundò neque exhibendum esse cibum in augmento accessionis, probatur ex eo, quia tunc augetur calor, quarè ex cibo eleuarentur vapores admodùm acres, qui magis perturbarent, quàm alijs temporibus: ideòque dicebat *Celsus,* b meliùs esse exhibere cibum infestante febre

y *libr. de morb. sép. cap.* 3. & 3. *prognos. comm.* 3.

z *lib.* 1. *de rat. vict. t.* 34.

a *lib.* 4. *de rat. vict. t.* 39.

b *lib.* 3.

febre, quàm incipiente, & melius esse illum exhibere febre consistente, quàm increscente. Probatur tertiò, neque in statu cibum esse instituendum, quia tunc natura est in maximo certamine cùm morbo, quarè meritò dixit *Hippocrates*, quod *Tempus danda sorbitionis, tùm per initia, tùm per omnem morbi decursum, hoc maximè seruare oportet. Nàm si pedes frigidi fuerint non à sorbitione modò, verùm quoque & maximè à potu temperandum; at cùm caliditas ad pedes descenderit tunc dare expedit. & 4. de rat. victus, Nisi calor ad pedes descenderit, & reliquerit cor, nec sorbitionem, nec aliud quidpiam dato.* quod erat in secunda parte conclusionis probandum, cuius rei caussa est in promptu, nàm si non cõpetit cibus in primo insultu accessionis, quia tunc calor suffocatur, si non in statu, quia fit pugna, si non in augmento, quia augetur calor, clarè sequitur cibandum esse in his temporib⁹, in quibus calor relicto corde, ad pedes descenderit, hoc est in declinatione, vel in interuallo, vel multò ante, vel paulò antè ipsã accessionẽ.

c 1. de rat. vict. 46.

Sed vultis aperiam vobis quandò in declinatione, quandò in interuallo, quandò multò antè, quandò paulò post accessionem cibare oportet. dicam, N, nec in huiusmodi differentiis assignanda à *Galeni* doctrina discedam. ipse enim 11. meth. cap. vlt. elegantissimè hæc omnia distinguens, habet quod in continuis exhibendus est cibus in declinatione, in intermittentibus in interuallo, in morbis, febribusque

vniformibus, hoc est, eumdem tenorem seruantibus, vt in febribus sympthomaticis, ortum ducentibus, vel à dolore, vel ab inflammatione &c. in Omothenis, Synochis, &c hora ægrotātibus consueta, hoc est, hora consueta tempore sal[illegible]is, aut secundùm facilem tolerantiam, vel hora diei magis temperata, vt notauit *Rasius*. d Quandò verò paulò antè, quandò multò antè est cibus exhibendus ex sex docet conditionibus esse colligendum, ex affectu nimirū, ex parte affecta, ex natura ægrotātis, ex natura principij, & ex quantitate, ac qualitate cibi. ex quantitate, & qualitate cibi: quia si quātitas, cibique qualitas cibum reddit difficilioris coctionis multò antè paroxysmum eger est cibandus, at paulò antè, si quantitas, cibique qualitas cibum reddit facilioris coctionis, vndè dicebat *Auicenna*, e ægros ità cibandos esse, vt aduentante paroxysmo ventriculus sit vacu^9. ex natura principij paroxysmi, quia si diù partes extremæ conseruentur frigidæ, somnusque sit profundus in principio ipsius paroxysmi, tunc multò antè paroxysmum est cibandum, si verò ista non sint, paulò antè cibandum. ex natura ægrotantis: pituitosi enim, & sanguinei multò antè paroxysmum sunt cibandi, biliosi verò paulò ante. ex parte affecta, nàm vt ipse habet *Galenus*, f si iecur, vel ventriculus sint valdè læsi, multò antè paroxysmum nutriend^9 est æger; demùm ex affectu ipso: siquidem in omni graui affectu, nisi sint contraindicantia,

d *ap. Almans. c. 5.*

e *c. 4.*

f *loc. cit.*

multò antè paroxysmum nutrire debemus, sũt autem contraindicantia nouem, corpus nimirùm picrocholum, morsus ventriculi, lumbrici, pestis, defectus alimenti, seu febris à fame, corpora multis, ac copiosissimis cibis assueta, ætas puerilis, vel senilis, syncopis, & loca calidissimi, in quibus facillimè corpora resoluuntur quæ quidem contraindicantia, non solùm immediatam, sed vniuersam euertũt hanc de victus ratione in ægris methodum allatam. Et quidem in picrocholis, hoc est, qui habitu sunt biliosi, est in principio paroxysmi cibandum: cùm his aduersissima res, inedia sit, & febrium paratissima caussa, ex *Galeno*:[g] nisi enim in principio paroxysmi cibo humectetur, exiccatur, ac excandescunt, incidunt que in febrem hecticam: propterea *Galenus*[h] in accessione micã panis vino adstringente delibutam, ijs cõcedit. In morbis etiàm, vel febre, qui ab inanitione, & fame dependent, cui dubium est, statim esse cibum offerendum, nullo habito temporis, aut circumstantiæ respectu: morbos etenim ortos ex inanitione repletionem sanare diximus ex *Hippocrate*.[i] Prætereà in morsu oris ventriculi, ad hoc, vt acres illi humores temperentur, & dulcescant, ac vel nullam, aut exiguam molestiam inferant, opus est alimento attemperante, atque humectante illorum acredinem, & mordacitatem; ex quo redditur etiàm natura alimento adiuta validior ad expellendos tales humores.

g 10. meth. ca. 4 sin du hora.

h 1. ad Glauc. 14.

i 1. 2. aph. 22.

res. In assuetis etiàm, ratione consuetudinis; In pueris propter validum calorem; ac senibus præ nimia imbecillitate plurimùm opus est cibi assumere: vt enim dicebat *Hippocrates* k *condonandum est aliquid ætati, & consuetudini*. In pestilentibus item febribus etiàm in ipsa accessione exhibetur cibus iusto copiosior: magis enim valet virium lapsus, quàm morbus pestilens. Qui vermibus molestantur, ob vermium morsus sunt nutriendi etiàm in ipso paraxysmo; vt sunt pariter nutriendi, qui in syncopem incidunt, quibus cibis solùmmodò succurrere possumus. In calidissimis denique locis, ac regionibus ob corporum continuam resolutionem conuenit cibus etiã in exacerbatione, vt ex *Galeno* 10. *meth.* cit. patet, qui *Porrò*, ait, *quibus temperies corporis ad siccum, calidumque conuersa, febrem accendit, ij interdùm vel prima inuasione accessionis nutriendi sunt, nedùm antè illam*. & inferiùs clariùs subdit *Calidis itàque, & siccis naturis, siuè à primo ortu sint tales, siuè sint etiàm acquisititiæ maximè inedia aduersatur, febrium paratissima caussa. Inter alia autem calidus in summo, siccusque cæli status iàm dictam temperaturam efficit.*

k 1. aph. 17.

Id reliquum esset, vt de quolibet morbo propriam, ac peculiarem methodum circà victus institutionem examinaremus; sed quoniam res vsque adeò in longum deducta est, vt tandèm finem facere debeam,

illam

illam præterire potiùs ducam; præterquàm quod ex allatis principijs inferri potest, nec vos, sapientissimi Academici, quæ sit, quibus danda latet. Pro Tyronibus verò alibi, Deo fauente, fusiùs rem pertractabimus. Dixi.



PANOR-

PANORMVS DELITIARVM HORTVS
A MEDICINA
TAMQVAM A PERVIGILI DRACONE CVSTODITVR

ORATIO

IN ANNIVERSARIA NOVÆ, NOBILIS
& Salutaris Academiæ Panormitanæ Solemnitate
ſub Senatus Illuſtriſſimi Auſpicijs
Habita ab

AVGVSTINO DE LAVRENTIO

PHILOSOPHO, AC MEDICO PANORMITANO
Eiuſdem Academiæ Kalend. Auguſti Anno 1650.

APVD ILLVSTRISSIMVM SENATVM

LANCELLOTTVM CASTELLVM, MARCHIO-
nem Capizzi, Comitem Galeani è C.S. C.M. Prætorem
ac Vrbis Prothomedicum, D. Franciſcum de Silua, &
Alarcon, D. Ioſeph Colnago S. Veneræ Baronem,
D. Hieronymum Buglio, D. Petrum Filinge-
ri, & Notarbartolo, Coſmam Ferrari,
D. Laurentium de Natale PP. CC.
de Republica Panormitana
Benemerentiſſimos.

AC A. M. D. M. ANTONIVM ALATMVM
primum, iterùmque Academiæ Principem, Saluatorem
Briſcianum, & Proſperum Pellegrinum Aſſi-
dentes Doctiſſimos.

PANORMVS DELITIARVM HORTVS A MEDICINA TAMQVAM A PERVIGILI DRACONE CVSTODITVR.

ORATIO



Anormitanæ felicitatis (Senatus Illustrissime, sapientissimi Nouæ huius, Nobilis, & Salutaris Academiæ primus, & iterùm Princeps, ac Assidentes, Vosque omnes Auditores ornatissimi) Panormitanæ, inquam, felicitatis, & Patriæ gloriæ Hieroglyphicum, Senis Colubrum pectori applicatis simulacrũ, quod à maioribus nostris scitè inuentum, & affabre sculptum ad hanc vsque ætatem inspicimus, si intentis contemplemur animis, erit profectò vndè tantæ Vrbis laudes eliciamus, ad exterarum admirationem gentium, ad æmulorum inuidiam, ad Vrbis ipsius gloriam sempiternam. si enim venerabilem antiqui Senis iuuat demirari canitiem, recondita Panormitanæ Vrbis primordia septemgemini obscuriora Nili origine, nobis significata animaduertemus; si regium ex auro, gemmisque, quo insignitur, Diadema collustremus oculis eiusdem

Vrbis dignitatem, regalemque maiestatem referri videmus siquidem Regum aula Panormus, & sũmorum clara Imperatorum cunabulis extitit; si auream pyxidem, quam secùs pedes reponimus, diuitiarum indè, quibus rerum omnium largitor Deus Panormum locupletauit, copiam licebit arguere, vndè Aureæ Conchæ nomen feliciter increbuit; si denique perspectiùs serpentem è pectore pendentem, longoque sanguinis copiam suctu è venis trahentem intueamur, ad humanitatem, vt alius dixerit, in exteros fouendos, in qua omnes Panormitani Ciues antecellunt, vt omnium calculis confirmatur, atque ad imperij æternitatem, faustitatemque (felicis enim Imperij serpens est hieroglyphicum) demonstrandam pectori dignoscemus admotum. Sed hisce, innumerisque alijs gaudeat, & eis amplissimis Panormus ornamentis: Vos PP. CC. Panormitani Genij signum, cum Aesculapij simulacro conferte, cui olim tamquàm Medicinæ numini diuinos dedit honores stultè cultrix Idolorum antiquitas: siquidem serpentis ambo figura insigniuntur; atque si ad salutem Anguis Aesculapio significandam adaptatur, non secùs huius Vrbis Genij serpentem pectori applicitum ad salutẽ, quam salutis ipsius fons, & origo, Medicina, vel reddit, vel auget, vel conseruat, denotandam autumemus. Serpentis autem significatum, non tàm

apud

apud Romanos, proinde ac apud Græcos, ac Ægyptios sanctum semper fuit, quod marmora, quod numismata, quod Græcæ, Latinæque testantur historiæ; sed Medicinam Serpentis imagine ipse retulit Deus: ut enim diuinis docemur oraculis; Serpentem, ex ære confici, & ad populi salutem exponi iussit, in quem quisque figebat obtutum percussus amissæ restituebatur sanitati. Esto itaque non tàm ad faustitatem, quàm ad salutem Serpens: & sicuti Hesperidum hortos aurifero preciosos olim nemore, aureisque fæcundos malis, vt prisca cecinit Poesis, timendo custodiri Dracone accepimus; ità, & Panormus deliciarum hortus, seù potiùs paradisus peruigilis tamquàm, salutarisque serpentis custodia obseruari gestiat, & letetur.

Et quid certè amænitatis, quid pulchritudinis, quid in toto terrarum orbe extat iucunditatis, quod in Panormitanis agris non rideat, ac efflorescat? atqui quæ tanta potest existere vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quæ tàm facundæ vis eloquentiæ, vt si de felicis Vrbis passim ebullientibus, ac prosilientibus fontibus, si de montibus naturæ circino in gyrum ductis, vt floridam, viridemq; Theatri speciem referant, si de tota planitie picturatis veluti aulæis, ac peristromatis exornata; si de arboribus, si de floribus, si de innumeris, quibus felix redditur Panormus ornamentis, ac delicijs lo-

quatur, tantæ Vrbis gloriam, ac felicitatis pompã queat æquare dicendo, vel oratione complecti? si saluberrimã consideremus aeris temperiem, si Elementorum concordiã, vt ad felicitatem Panormitanã concutandam fœderata videantur, si Astrorum, quæ Vrbi fauent benignitatem (si quã tamen Astris vim inesse, vt ab illis aliquid in nos emanet, inculpata licet affirmare sententia) vt numquàm sanè certis in erroribus, quibus cursus metiuntur suos, à Panormitana felicitate aberrarint; si deniquè innumera felicitatis huiusce argumenta perpendamus: quid erit profectò quin vndique felicẽ Panormum, eiusque numeris omnibus absolutam dicamus felicitatem? Et vbi nàm tàm serenos conciliat hybernos natura soles, vt veris vndequaque videas explicari per agros honores, tepidosque rura mulcere Zephyros, cùm alibi sæuiente bruma, pruinis albicent prata, ità vt in aurea Concha auream recurrere ætatem affirmare etiã veris exteri laudibus non vereantur? quid igitur vel amœnissima nemora, vel florissimos mihi iactet Tempe fluuios? quid purpureas, mollissimasque Pestum rosas dilaudet suas? quid Tibur, quid Tarantum, siue ibi sponte sua mella fluant, siue longum Ver præbeat, tepidasque Iuppiter brumas, siue minimùm fertili Baccho falernis vuis inuideat? quid Ida, quid Cyprus, quid Pindus, quid Parnassus, loca,

etsi

etſi amœniſſimis beata delicijs, vel tamen Veneris infami procacitate, vel Poëtarum fabulis, ac figmentis exagerata? Ne quis autem pigmentatas veriſſimas haſce Panormitani Paradiſi laudes exiſtimet, prodeat in medium non inferioris notæ ſcriptores innumeri, qui ab omni longè procul aſſentatione, vt veris, ita ad Panormitanã felicitatem cõfirmandã validisſimis verbis, nunc totum hortũ, nunc totius Siciliæ pulcherrimã, nunc deliciarum cãpum, nunc amœnitate naturali conſpicuã, nunc fontibus irriguã, ac fructibus omnibus fœcundam, nunc Europæ *viridarium, nunc Siciliæ Paradiſũ, nunc* Deorum *delicium, nunc denique naturæ miraculum appellarunt Panormum. Nec ego Ranzanos teſtor, nec Antonios Panormitas, nec Valguarnera, ſed Polybios voco teſtes, Thucidides, Procopios, Diodoros, Cluuerios, Porcaccios, Albertos, Ananias, Braun, Boteros, Siluagios, Fazellos, ac Maurolicũ, & Bonfiliũ Meſſanenſes, ac penè infinitos alios, qui felicẽ Vrbẽ ingeminatis extulerunt laudibus in Cœlũ. Poſſem ego, vel ad inuidentiũ retũdendã audaciã, vel ad ciuium confouendã lætitiã, veneranda priſcorum oracula Regum afferre, vel Northmannorum, vel Sueuorum, vel Gallorum, vel Hyſpanorum, quorũ quilibet amplisſimis reſcriptis, & diplomatis Panormitanæ paſſim felicitatis non ſinè honorifice htisſimis encomijs*

memi-

meminit, laudauit, miratus est, vnde haud iniuria augustissimo Metropolis nomine cohonestauit.

Quod si de fructibus, hoc est, de illustrioribus viris, quorũ Panormitanus hortus feracissimus fuit, mea tandem agat Oratio (siquidem ad hoc me compellere video expectationem vestrã) ad clepsydrã certè mihi perorãdum est æternitatis. quis enim queat celeberrimos viros, qua sanctitatis gloria, qua sapientiæ splendore conspicuos, non dicã magnifica celebrare oratione, sed recensere numerando? quis Sergium, & Agathonem sacrosancta Pontificis Maximi dignitate præditos; quis Mamilianum Panormitani gregis Inspectorem, quis Eustotium, Golbodeum, & Proculum, ac quatuor suprà triginta alios martyrij laurea donatos quis Ioannem, Philaretum, & Philippum diaconũ, quis Syluiã Magni Gregorij Pontificis Max genitricẽ, quis Agathã, Nymphã, Oliuã, ac Rosaliã integerrimas Virgines, quis deniq; innumeros alios in Sanctorum Heroũ numerũ relatos numerando tanto oneri nõ succumbat? quis summo ingenio præditos Poetas, eloquentissima Oratores facundia præstantes, Iurisconsultos peritissimos, doctissimosque Philosophiæ, idest, scientiarum pulcherrimæ indagatores, ac deniq; omnium altissimè sese efferentis diuinarum rerum perscrutatricis Theologiæ peritissimos sine Auditorum satietate percensebit?

Ve-

Verùm enim verò res ipsa moneret, vt fusiùs de Panormitanorum Ciuium præstantia nobilissimæ Medicinæ scientiæ consultissimorum meminissemus; sed qui nunc ego in medium afferre potero Io. Baptistam la Petra, Ioannem Siccum, Benedictum Crescentium, Sanctorium Vitalem, Pompeum Ferrarum, Laurentium de Natale, Hieronymum Spucces, Vincentium Auream Panormitanos Galenos, ac Blascum Scammaccam, Philippum Ingrassiam, Franciscum Bissum, Vincentiũ Tantillum, & D. Iosephum Pizzutũ Archiatros omni ex parte laudanda nomina, & gloria non indigna æternitatis; quin hæc florentissima præstantissimorum Medicorum corona de mea rectè conqueratur imprudentia? nàm si M. Antonium Alaymum Nobilis huius, & Salutaris Academiæ primum, secundumque Principem iuuat intueri, eius volumina, quibus clarus, fulgensque Medicinæ arcana latentia præclarè pandit, felicemque illustrat Panormum, attentè ponderare, prudentiæ specimina memorare, equidem non immeritò viri omnes voce eximium Medicinæ decus, benemerentissimũ huius Apollinei lycei Principẽ acclametis; si singulos licet huiusce Academiæ viros attendere, inspectè contemplari, eorum virtutes expendere, sapientiæ exempla commemorare, quid erit profectò, quin communi omnes suffragio doctos, erudi-

tos,

tos, & ad omnem Medicinæ partem versatili præditos ingenio dicatis? quos sanè omnes vt patriæ custodes, vt Reipublicæ conseruatores, vt communis vtilitatis fontes longo verborum ambitu dilaudarem, nisi ob singularem omnium modestiam silentio prætereundas ipsorum laudes iudicarem.

Consultò igitur (quoniam in horum omnium laudibus nullus immorabor) ad Medicinam mea iam festinat Oratio, cuius quidem tàm sese effert prestãtia, ac dignitas, vt si quid fas erit dicendo perstringere, dignos quidem, quibus omnes debeãtur laudes, hosce viros omnes arbitremini. Verùm absre sanè mea foret, N, omnem mouere lapidem, per singula Medicæ facultatis argumenta laudationis excurrere, & tàm lati, altique Oceani spatia ingenij cymba metiri, vel enim vndarum vorticibus abreptus, scopulisue allisus demergerer, vel me dies destitueret perorãtem. Quibus enim verbis possem, aut de ipsius scientiæ præstãtia dicere, quæ nimirùm in rerum omnium completa cognitione consistit: quandoquidem etsi in curãdis morbis ex hypotesi, & instituto versetur suo, absolutissimã nihilominùs disciplinarum requirit omnium scientiã, vt eloquentissimus superiori anno Orator ex hac eadem Orchestra disseruit; aut de splendidissimorum honorum amplitudine, quibus Medici, vel ab ipsis nascentis orbis incunabilis co

bone-

honestati sunt, ut statuæ illis dicatæ, ut amplissimi tituli, ut honorifica encomia, ut populorum plausus, ut Regum, ac Dynastarum priuilegia, ut thura Aesculapio, alijsque Medicinæ inuentoribus fumãtia, quos ut Deos ibãt salutatum, ut ludi in Hippocratis honorem triumphali pompa ab Athenienfibus celebrati, plenissimè contestãtur? quid enim tãdem post multarum Medicinæ laudum cõgeriem effecero, cùm Deus ipse Medicum nobis præponat honorãdum, cuius nimirùm semper manere debet nomen, & laudes? Volens ergò lubensque nullus tanta nobilissimæ huius scientiæ referam encomia; ad rem veniam, ad quam mea collineat Oratio, & de Medicinæ necessitate verba faciam, qua inconsulta, nec uniuersus orbis, nec Prouinciæ, nec Regna, nec Vrbes, nec Populi, nec tãdem hominum quispiam penitùs extare, aut sinè morborum sæuitie, vitã exigere queat longiorem: quod enim est hominum genus, quæ vitæ conditio, quæ ætatis tempora, qui sexus, qui Medicinæ fructibus careat uberrimis? cùm enim varijs quotidiè afficiamur ægritudinum generibus, vel quia temporum, vel astrorum, vel aeris, vel occultæ nocet ægrimoniæ violentia, & nulla sit ætas, quæ suis careat periculis, cùm omnium ceruicibus, æqua sorte, Mortis acutissimus impendeat gladius, & non minùs exactæ ætatis

M m *senes,*

fenes, quàm in ipso vitæ limine puerulì violento mortis turbine rapiũtur: idcircò omnes omni tempore Medicinæ adiumento indigemus, defendimur auxilijs, & sanitati, qua nihil potest esse vel dulcius, vel iucundiùs, vel optabiliùs reddimur: nec quispiam salutaris huiusce facultatis ope se non egere iactet, cùm nec auro diuites emere queant semel amissam sanitatem, nec truci, ac minitabũdo miles ferro morbos expellere, nec minaci sceptro, aut saturata murice purpura eijcere mortem Reges, ac Imperatores. Agite dùm verò gaudeãt salute Mortales, quis tamen Medicinam diutiùs exulem abire sinat, & potiùs eam tãquàm omnium vitæ custodem non amplectatur? quis noxia, ac vitãda nobis contraria demonstrabit? quis meliora eligenda innuet? quis in tot periculorum ambagibus, ac labyrinthæis erroribus viã aperiet tutiorẽ? quot autem senio affectis, ac alterum, vt aiunt, in Tumba pedem habentibus, vitã ducere iuuenum dedit Medicina? quot ab vtero in auras trãstulit, qui cùm nondùm Lucinæ ope in lucem editi, in tenebricosã traducebãtur Libitinæ feritie sepulturam? quot ex aperto Mortis periculo, cùm repentè vitæ metã pertingere viderentur in salutem restituit optatissimã? quot denique vita spoliatos, aut certè ægrè viuos, in vitã reuocauit, ac restituit, quod persæpè Aesculapium, Poladirium, nonnullosque

que

què alios summos Medicos fecisse celeberrimi memoriæ prodiderunt Auctores, si tamen eorum credendum esse dictis arbitremur.

En vobis PP. CC. quàm necessaria sint Artis Phœbeæ commoda, & quãtùm in Vrbibus ab hoc vberrimo salutis fonte vtilitatis emanet in ciues. Iure igitùr quidem optimo peruigilem Panormitanæ Vrbis custodem, initio dicendi Medicinã proposui, quæ amœnissimarum deliciarum hortum Panormum obseruat, tuetur, defendit. Agite iam mecum, quæso, & augustissimã Vrbis nostræ speciem, in qua tãtùm splendoris, tãtùm maiestatis, & gloriæ renidet, à Medicina custodiri videamus. Delectat ne vos Panormitanã Vrbem suspicere, ac venerari regali conspicuã dignitate, quæ Reges sinu susciperet suo, aureoque decoraret stemmate, ac iura daret Siciliæ, Apuliæ, Capuæ, Sueuiæ, Aragoniæ, ac penè Terrarum Orbi vniuerso, quod non mendaci famæ volitãtis tuba per extremas Mundi plagas innotuit. qualis autem Vrbi Regum splendor effulsisset, nisi Medicinæ auctoritate impulsi, Panormitanum aerem, aquas, ac situm, non dicã sanitati obnoxium, sed maximè cognouissent, ac experti fuissent salutarem? Delectat situs hic præstãtissimus, quod Panormum, & natura ipsa tãquàm totius Regni caput amœnissima collium corona præcinxerit, quod Aquilonum nulla patens leni Ze-

phyrorum suauitate ventiletur, quod eius fœcundissima in planitie, & Veris amœnitas, & vbertas Autumni contendat; quod Sol ipse prima luce hoc naturæ collustret miraculum, ac venerabundus tantā Regiæ Vrbis maiestatem veneretur, & colat. sed certè hoc felicissimæ vitæ vsu minimè frueremur, nisi in prima Vrbis constructione situs amœnitatem, loci constitutionem, astrorum dominia, cœli clementiā designasset Medicina. Delectat intueri Panormitanos ciues martialibus deditos studijs, ad sapientiæ palestras, ad comitia literarum conuolātes, nobilissima Indole præditos, optimisque in moribus versatos. sed quid prodesset bellicosis gloria fortitudinis, eruditis sapientiæ oblectatio, ingenuis morum præstātia, si iaceāt corpore infirmitatis molestia, ac doloribus afflicto?

Verùm vbinam diutiùs immoror, Patres Illustrissimi, dùm in florentissima nostra hac Vrbe nō vulgare de quo quærimus, sed insigne mihi exuberat argumentum? Vos (etsi durum sit meminisse, ac luctuosum) miserādorum repetite memoriā temporum, quæ Panormitanā felicitatem dignam, quæ omnium lachrymis defleri potuisset, reddidere. Inuasit teterrima Panormum pestilentia, & vbique per Vrbem serpens in dies latiùs, communi ciuiū internecione, sæuissimè grassabatur. sæpè lactantes Pueri venenum ore trahebant è mammis, &

acer-

acerba ſerte è cuna ferebatur in feretrum, & vinuptæ nonnumquam Puellæ, aut caro viduatæ marito, orbã, triſtemque lachrymis vitam deflebant, aut duro mortis genere ex Hymenæi facibus in cineres Mortis, & è thalamo raptabantur in tumulum: quot florentes ætate ephæbi, quot firmo iuuentutis robore præditi tamquàm ſæuientis morbi victimæ mactabantur? & cùm eò calamitatis lues perueniſſet, vt paſſim incondita cadauera, funeſtas tamquam mortis pompas, currus deportarent, vt funera, pia officia, iuſtæ exequiæ mortui deficerent; tunc, ne latiùs peſtis funeſtaret Vrbem, ciuium, qui contagione affecti putabantur, commercijs ſeſe immiſcere vetitum, ac ipſi extrà Vrbis mœnia, veluti opportunum in communis curationis locum, ac xenodochium delati ſunt. Obmutuit ergò Curia, cura Magiſtratus nihil præter omnium neceſſitatibus prouidere poterat, infrequens forum ciuium, ac exterorum negotijs patebat nullum, pro mercalibus emporium, ac mercatoribus deſtitutum, ac per Vrbem ciues tardo inceſſu, palleti ore, demiſſis oculis, metu, mæſtitia, dolore, triſtitia afflicti viſebãtur. alius domus ſuæ, ac ſui ipſius deflebat acerbiſſimas calamitates, aliꝰ coniunctorũ beneuolẽtia, ac sãguine vices dolebat, omnes omniũ ægrè ferebãt ciuiũ ærumnã. Itaque

quis

quis tatis appletam miserijs Panormum Vrbem florentissimã, ac felicissimam, tunc funestissimam mortis scœnam, horridam dolorum, ac ægritudinum Regiã non dixisset? Salutarem tamen opem poterat afferre Medicina, medicamina conficere, applicare, optimam viuendi rationem præscribere, vtilia præponere, lethalia vetare, Senatui, ac Magistratui quotidie nouas de morbo coercendo leges dare, Vrbem penè iacentem erigere, ipsique iã cadenti dexterã porrigere, ac in tot calamitatum cœno deiectos ciues suauissima spei aura demulcere, tãquàm afflictis eadem, ac desperatis rebus considere animabat. Ipsa tot tempestatibus agitatæ, ac penè naufragio emersæ veluti amicum Vrbi sydus effulsit, in teterrima cæcutientibus nocte ciuibus fulgentissimæ instar emicauit Auroræ, ac fractis Nauis lateribus, & carina, vna omnibus ex naufragio tabula fuit Medicina.

Verùm, N, Rosaliã Integerrimam Virginem, Nobilissimã Cœli, Terræque Heroinã, præcipuum Patriæ nostræ decus, singulare Siciliæ præsidium, Vrbis liberatricem, ac Conciuium vindicem salutis veneror, & ab ea morbi sæuitiem non eo inficias expulsã. Medicinam autem custodem Vrbi extitisse, illique ità afflictæ pro adiumento fuisse, vobis propono. Videre itàque vos opinor, Senatores Illustrissimi, quid sit in Vrbe, & quãtùm afferat

rat

rat vtilitatis, imò quàm ſit ad conſeruãdas Vrbes ipſas neceſſaria Medicina, quod ſanè ſexcẽtis alijs poſſem cõfirmare argumentis, ni longiùs plùs æquo Orationem prolixaxiſſem meam; & quandò in eius calce ſumus, vos ab vngue leonem conijcite, & quę breuitatis gratia prætermittuntur, quæſo, ne meæ potiùs ignorationi, quàm rei magnitudini, ac temporis anguſtijs adſcribantur,

O ſalutarem ergò, ò cælitùs immiſſam ſcientiã, ò felices penitùs Vrbes, quæ Medicinæ tutela defendunter, ò feliciſſimam Panormitanã Vrbem tàm ſalutaris Academiæ cuſtodia, tàm celeberrimorũ Medicorum tutam cura, ac ſolertia. Quodſi quæſo, PP. CC., tantùm præſtantiſſima, ac penè Diuina Medicinæ ſcientia feliciſſimæ Vrbi noſtræ, Ciuibus omnibus, vobis ipſis confert vtilitatis, Panormum Deliciarum *omnium Hortũ amœniſſimum peruigili tuendo cuſtodia. Vos huiuſce Academiæ ſtudijs fauete, deſideria fouete, eius decora cuſtodite, protegite, amplificate, ac vtilitatis fructus, quos ab illa percipitis, veſtra clientela, ac patrocinio compenſate. Dixi.*

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

annum

Colum-

G

Doct.

pro-

Hypo-

P

Respi-

Sina-

Ster-

quē



